EPISTOLARVM


ORATIONVMQ.

LIBER,

Hieronimi Nigri Veneti, Canonici Patauini, & I. C. Omnium æloquentiss.







PATAVII

Apud Simonem Galignanum de Krera

M D LXXIX.

AMPLISSIMO GRAVISSIMOQ: Senatori, ac patrono & D. ſuo Obſeruandiſſ. Petro Foſcaro,

M. Mant. Benauidius, Patauinus, Iuriſcon. Comes & eques Vt. Aulæ, & ſupra Ordinarius Iur. Pont. Int.



Ieronimus Niger Venetus, Canonicus Patauinus, & Iuriſconſultus omnium æloquentisſimus, librum Epiſtolarum familiarium Multiplicesq; Orationes, & Apologiam quidem ad Principes Chriſtianos concilii Bononien. Olim in morte reliquit, quarum omnium Mœrere à Sacerdote, Iacobo Morelio Salboren. eiuſdem Alumno, liberaliter cohoneſtatus fui, cum ſciret maxime, Inter nos tam magnum Amicitie fœdus fuiſſe, noſq; tanta beneuolentia coniunctos, ut nulli tunc Amiciores chariores; reperiri potuerint, ea de re niſi hoſce Ingenii ſui fœtus Vberrimos ſanè, in lucem emitterem, in gratitudinis uicio profectò accuſandus eſſem, ratus inſuper, ſi quæ inter nos aguntur, Mortui, ſciunt, ſaltim aliorum morientium relatione, quod ipſi quoq; officium huiuſmodi, non ingratum erit, & apud omnes laudabile poſtea, preſertim cum Ciceronianæ elocutionis nō modo imitator ſed (ut uideri poteſt) etiam æmulator egregius, fuerit, & cum adhuc co

gitarē cui dicandi forent, te unum delegi Amplisſime Vir, Clarum genere, in quo principes, Cardinales, tot tantiq; Senatores fuerunt, præcipue, Marcus Genitor tuus, non tam Venetæ urbis, quam orbis etiam fulgentisſimum Sydus, & Splendor, adeo ut longe difficilius ſit exitum quam principium inuenire, Te inquam ingenio prudentem, Grauitate incomparabili, fide, officioq; diligentem, & morum, Sanctitateq; uitæ ad Reip. gubernationem natum, Demum quia tui cura cum apud aliquos eſſent epiſtolæ, ſi non omnes earum pars ſaltim Alumno ſuo ſupradicto, cuius Tu nunc Patronus Amantisſimus exiſtis, eueſtigio promptisſime reſtitutæ fuerunt, Quas igitur, tibi reuerenter dicamus, deuouemus & conſecramus, præfatiq; Hieronimi Nigri Nomen, Immortalitati donatum pariter, ut ipſum a Detractorum morſibus defendas & tuearis, quod ſi feceris, non minori laude dignus eris, abſq; dubio tu, quam alius quiſquam, qui hoc officio aliquando functus ſit, & non modo ob id tantum, uerum etiam quod eos non blattis & pulueri, relinqni, & Obliuioni, mandari, permiſeris. Vale Senator inter graues, grauisſime, & inter Illuſtres, Illuſtrisſime teq; incolumen, ſeruet Deus Optimus Maximus.

MARCO MANTVÆ IVRECONS.
Hieronimus N. S.



QVi ſuo iure omnia ſibi de me, ac ſtudiis meis polliceri poſſunt, & fortaſſe plus pollicentur, quam præſtare me poſſe ſentiam; nuper mecum egerunt, ut Apologiam Concilii Bononienſis conſcriberem; Opus ſanè arduum, ac tua dignum iuriſperitia & eloquentia, Quāq̄ autē iure potuiſſem illud Mantuani Vatis carmen obiicere.

Non tali auxilio nec defenſoribus iſtis. Tempus eget.

Quando ſilent leges inter arma,aut ſi illæ ſemper loquuntur, obſtrepente Claſſico non exaudiuntur,Tamen authoritati Clariſſimorum uirorum qui id a me efflagitarunt, cedendum fore exiſtimaui, præſertim quum meus ordo meaq; in Romanam ſedem pietas &priſca fides poſtulent nullo ut loco deſim , in eis omnibus quæ ad illus dignitatem uel tuēdam uel amplificandam pertinent. Pauca igitur hæc in eā ſententiā conſcripſi, non acuto illo quidem& ſubtili iuriſconſultorum noſtræ ætatis more,ſed lato & Oratorio dicendi Caractere, Quemadmodum Veteres illi Iuriſconſulti cauſas agere ſolebant. Preſſam illam & Spinoſam diſceptandi rationem ueſtris Gymnaſiis relinquendam duxi in quibus tu iure optimo imperium exerces, ita tamen ut hanc quoq; calamiſtris inuſtam non negligas . Quiquid autē id eſt quod ab auditore olim tuo profectū eſt, priuſquā in aliorū manus exeat;Cēſure imprimis debetur tuæ, Quamobrem pato abs te ut hoc ueluti Mancipium apud te domi habeas , Corripias , & ſi dignum uidebitur , perpetuis damnes ergaſtulis,Non enim iacturæ,ſed lucri loco apponam, ſi labores mei te æquisſimo iudice interibunt.Vale.

MARCO MANTVÆ IVRECONS.
H. N. S.

IN hoc meo Patauino Otio, quo Vexante Ciuitatem peſtilentia, intra domeſticos parietes fruor,nullum mihi ſolatium iucundius eſt litterulis noſtris,& his quidem politioribus ,quumq; recognoſcerem nuper Commentarios meos rerū

memorabilium, in quibus honorificam, ut debeo, de te mentionem facro, defydero in ea parte Catalogum ſcriptorum tuorum, tam editorum, quam non editorum. Peto igitur abs te, ut eum ad me Mittas, quod ſpero te facturum, non Ambitionis ſtudio, à quo longe abes, ſed ut mihi morem geras, Vale, & hoc tempore Cõſuetudinē hominum quoad potes, deuita. Quemadmodum & ipſe facio, ne Mala uicini pecoris contagia ledant. Vale.

Hieronymus Niger, Bernardino Sabino Cardinali. S. D.

SVſpenſos diu nos, atque ancipites tenuit nuncius delatæ tibi a Pont. Max. amplisſime dignitatis, gratulari ne, an potius dolere deberemus, te nihil tale cogitantem in Cardinalium ordinem fuiſſe cooptatum, gratulatioris quidem cauſæ multe fore uidebantur, eximias uirtutes tuas a tanto uiro tali honore dignus fuiſſe habitus, fore te iſto in loco, in quo multis mortalibus, atq; uniuerſæ Reip. non mediocri adiumento eſſe posſis, Exemplo iſto multorum animos accendendos fore ad pietatem atq; uirtutem, quum animaduertam locum iſtum, qui plerunq; opibus & nobilitati patere conſueuerat, nunc doctrinæ, & probitati fuiſſe patefactum. Mœroris autem cauſæ nonnullæ ſunt, quarum aliquæ ad nos attinent, aliquæ uero tua ipſius cauſa proueniunt. Non posſumus non dolere nos tui neceſſarios, tua conſuetudine eſſe deſtitutos, ex qua fructū capiebamus uberrimum & ad componendos animos maxime ſalutarem. Te uero iucundisſimæ tranquillitati, & cœleſtium rerum contemplationi deditum, nam tantis iactationibus, & turbinibus fuiſſe expoſitum uehementer dolemus. Videris. n. & eſſe conditiore qua iam diu quaſſata flutuebat, & uentis nauicula, quæ quum uix tandem portum inuenerit, paulo fereniori facto cœlo, egreſſa portu, rurſum in procellas & tempeſtates incidat prioribus ſæuiores. Ac mihi quidem ab Iulii ſecundi pontificatu, quo primum tempore iſta in urbe uerſari cœpi, uſq; ad hac tempora præteritarum rerum memoriam, & præſentium ſtatum animo repetenti illud uidetur uerisſimū, nulla eſſe deteriorem fortunam quam eorum, qui in corrupta Republica principem locum tenent. Nam, ut à priore in ta-

tiore non descedam, multo infælicius agitur cum rectore pe riclitantis nauiculæ, quàm cum nautis. Illum enim, si quid durius accidat, cæteri execrauerat, atq; odere, in secundis au tē rebus, non illi, sed uentis & mari gratis referūt. Memini Hadrianum sextum Pont. max. qui dum in Cantabris ageret, nihil eiusmodi cogitans Pontifex max. factus est, supremo uitæ die, quū a familiaribus interrogaretur, nam quid eis mandare uellet, respondisse, Hoc elogiū sepulcro meo inscribi uolo. Hic nihil infælicius duxit in uita, quàm quod imperaret. Quæ uerba recordor me ī eius, Cœnotaphio inscripta legisse, qua elatus est die. Sed ne ab homine externo, & rerum gerendarum imperito exempla petemus, Gaspar Contarenus uir omniū sapiētū iudicio sapiētissimus, quē ego (ut scis) Cardinalem ex in sperato factum, sequutus sum, quum forti animo ad rempub. accessisset, multo difficilius negotiū in ea gerenda inuenit, quā fuerat opinatus, deprehenditq; nec diligentiā suā insidiis, neq; innocentiā suā calumniis carere potuisse. Interdūq; moxq; ad priuatā respexit uitā, quā autē in patria, & in ciuitate optimi constituta duxerat, ubi charus ciuibus suis, fortunis & honoribus abūdās, in litterato otio uiuebat iucundissime, sed a Paulo tertio Pont. Max. tam honorifice euocatus, detractare Imperiū non potuit, eiusq; mandato una cum Collegii ei Curiæ præfectis, aggressus causam reformandæ Reip. quasi Isthmum foderet, aut Penelopes telam retexeret, sua spe est deceptus. Adeo nāq; deprauati sunt hominum mores, adeo inualuit, & inhæsit ossibus suis ut adhibita medicamenta irritare potius morbum, quàm leuare uideantur. Verum in tanto conflictu spei metusq; positi, nullum firmius habemus præsidium, quàm perpetuas ad Deum preces, Diuinum est enim opus, non humanum, quod suscepisti, neq; antea cessaturā puto hanc uehemētē procellam, quàm placuerit ei, qui imperat uentis & mari. Quod tempus quum incognitum sit nobis, assiduis precibus implorāda est diuina bonitas, qui nostram sublimet imbecillitatē. Quamobrē scito nos qui in hoc Italiæ Angulo ipsius Dei benignitate pacatissimo delitescimus, si non alia ratione iuuare possumus cōmunē causā, hoc certe non deesse, ut incessāter oremus pro eorū salute, qui ad Clauū sedēt fluctuātis

nauigii,præcipue uero salutem&fælicitatem Pontificis Max. deposcimus, in cuius uirtute & sapientia post immortalem Deum, tãquam in sacra Anchora plurimum spei repositum uidemus. Vale.

VVolfango Furtmairo, H.N.

IGnosce mihi mi VVolfgange,si diutius absum ,quã opinabar.Volo tamen te&tuos omneis uti Domo mea æque familiariter, ac tua.Spero me istuc rediturum infra Triduum, Interea familiares mei quæcunq; poterunt beneuolentiæ & amoris officia uobis libentissime pstabunt. De rebus Germanicis.Hoc audio Cæsarem iã esse in Germania,& Ratisponã proficisci ubi non ante quintum decimũ Kalen.Aprilis aderit, Colloquiũ interea fiet de rebus religionis ex præscripto Cæsaris.Vidi Articulos discutiendos, protestantes ab Augustensi confessione non recedunt,&in eadem pertinacia,persistunt,qua fuerunt hactenus; Concilium Tridentinum testudineo gradu procedit expectans fortasse successum Ratisponensi conuentus,&exitum pacis aut belli inter summos Principes,qui potius ad arma quam ad pacem,&ad sedandas discordias uidentur respicere.Vale.

Victori Puteolano Venetias.

NOn fefellisti opinionem meam,Puteolane Vir doctissime qui inhibitorias literas è tribunali tuo surreptas iustissimis de causis reuocasti.Vtinã ita facerẽt cæteri qui metropolitanas occupãt sedes, non enim tot lites ex litibus sererentur.Tanto cum pauperum incommodo,qui per uarios anfractus, super quouis articulo longè à proposita causa distracti litigare,coguntur.Est quidem(ut scis) legibus amica simplicitas,atq; ille plerunq; perspicuæ & Eleganter scriptæ sunt sed peruersa hominum ingenia ambitioni& auaritiæ dedita eas cõfundũt atq; implicant, ut ueluti oracula ciuitatũ soli ipsi iurisperiti consulantur. ingentesq; opes ex aliena iactura cõquirãt. Itaq; æqui &sapientis est iudicis reiectis caluniis ueritatẽ amplecti atq; in primis meminisse,leges non

ad controuersias excitaudas sed tollendas a sapientiss. uiris, conditas fuisse. Quod quum abs te diligenter obseruari uideam tibi gratulor inmortaleisq; ago gratias huiusce boni & pauperis sacerdotis uerbis, quem sanctiss. tuo iudicio magna molestia liberasti. Quanquam enim aduersarius ille suus ad alium Iudicem (ut audio) prouocauit, Puto tamen se illius prouocationem iure optimo refutasse ac recescisse mihiq; Integrum fuit priusq; tertius iudex in hiberet de Principe causa cognoscere quod Equidem feci per libenter iustitiā in primis studio deinde ut principi meo obtemperarem, cuius antiquū est institutum sacerdotes bene moratos quibuscunq; potest beneficiis ornari, ac prosequi, quod ad nos attinet uelim tibi, persuadeas, me omnibus in rebus, quæ ad tuam dignitatē pertinebunt studiosissimum semper futurum, quod cum uetus necessitudo inter nos, tum tuæ multæ maximæq; uirtutes postulant. Vale.

Gaspari Card. Contareno, Bellun: Antistiti des.

GRauiter me pupugit particula litterarum tuarum, quæ de mea in Germaniam profectione mentionem fecit, ꝙ enim existimes meam operam tibi usui adiumentoq; futuram id ego penitus ad scribo amori in me tuo, quo pariter metiris obseruantiam erga te meam, quæ te opinio nunquam fallet, si cætera deficient; Quod autem non dubites posse me hoc tempore hanc tibi operam præstare, id me uehementer angit, Nam si uoluntati studioq; in te meo cætera responderent, non equidem penderem animi, & quemadmodum solam auctoritatem tuam sequutus in hosce montes me abdidi, in quibus Biennio iam delitesco, ita prouinciam hanc laborum periculorumq; plenissimam te suasore, te duce subire leue mihi ac iucundum putarem. Sed (ut tu te nosti) ex eorum numero sum, qui in patria potestate sunt, Necdum compertum habeo, an Pater, qui uix æquo animo fert me ab se bidui itinere abesse, longius me absore sit passurus. Quæso pro tua pietate ac prudentia pone tibi ante oculos senem quatuor & octoginta annos natum, familiamq; omnem meam in tutela ac præsidio meo recumbentem, Nam frater qui mihi unicus est reli-

ctus, rursum est propediem in Cyprum nauigaturus. Nec te præterit, quarto ab hinc anno, me eadem motum pietate urbē Romam, quæ mihi iam longo usu, atq; habitatione patria facta erat, & Consuetudinem tuam, qua mihi iucundius erat nihil, deseruisse, ut extremum patris spiritum pene extinctum recrearem, Nunc ego eum omni spe destituum atq; orbatum deseram? & canitiem eius cum mœrore ad inferos detrudam? At plus debemus deo ac religioni quam parentibus, Ecquis ego sum, qui ruinas Christianæ Religionis fulcire, & Atlantis in more cœlum meis humeris sustinere queam? longe errant mea quidem sententia, qui in tanta rerum perturbatione ac miseria aliunde sibi quam à Dei altissimi digito opem pollicētur. quæ si tranquillis rebus semper est necessaria, quanto magis afflictis & perditis, Scribo hæc ad te ut infirmus & imbecillis, nondum plane sciens quid deliberem aut quid agam, sed si ad tuos Bellunenseis diuerteris, aut alibi colloquemur, multa, quæ recte litteris committi nequeunt, explicabimus. Vale.

Ioanni Mariæ de Monte Card. H. N.

ET si necesse, non erat, ut hominē tibi familiarē commendarem, tamen mirificus amor meus in Prosperum Sanctacrucium ciuem Romanum facit, ut eum tibi esse familiarissimum cupiam. Quod paruo admodum negotio me assequuturum spero. Id enim cum tua Singularis humanitas, tum huius Viri eximia Virtus postulant. Is hodierno die in hoc Celeberrimo orbis terre Gymnasio ea donatus est Laurea, qua donari solent qui in Ciuili ac pontificio iure adiscendo plurimum laborarunt. Fuitq; is honos omnium iudicio uirtuti, & non pecuniæ tributus propositum huius est redire in patriam ad ea obeunda munera, quæ iurisconsulti ista in Vrbe obire consueuerunt. Nam (ut audio) Pontificis Max. liberalitate, in collegium aduocatorum consistorialium est adscitus. Quem sanè locum Tarquinius Pater, & Pompilius patruelis summa cum dignitate & gratia tenuerant. Agnosces iuuenem pium, modestum, nonmodo in iuris scientia doctum sed etiam in humanioribus literis perpolitum. Quare hunc hominem totum tibi tra-

do (ut aiunt) de manu. Quicquid enim opis & beneficii in hũc contuleris, in me ipsum collatum arbitrabor. Vale patrone obseruandissime.

Federico Baduario Pat. Ven. H. N. S. D.

Qvum audissem te incredibile studio ciuitatis Tribunũ factum esse, teneri non potui, quin & tibi & reip. quã primum gratularer. quòd enim competitores tuos illustri nobilitate, eximia uirtutẽ uiros, ætate uero te grandiores, multitudine suffragiorum & gratia superaueris; fuit hoc profecto nõ modo tuis diuinis atq; immortalibus meritis debitum, sed ipsi etiam primæ honestum & gloriosum quæ nouam & inusitatam in iuuene uirtutem; nouo, & inusitato genere honoris prosequendam fore iudicauit. Laudandus est quidem ac in Cœlum ferendus uetustus iste patrius mos, atq; institutum uestræ reip. imprimis honorandæ & colendæ senectutis, usq; adeo, ut ætate etiam nostre hominem centennarium, non alio magis quam senectæ nomine commendatum ad amplissimum honorem prouexerit. Verum eam magistratuum rationem semper habendam censuit, ut si eiusmodi pars reip. gerenda sit, quæ cordatum hominem, patientem laboris, acrem in dicendo & uehementem postulet, ab excellenti uirtute progressum ætatis minime expectandum putet; quum nunquam præcox, & immaturus honos esse uideatur, qui præstantissimæ uirtuti defertur. Ea quippe reip. pars tibi commissa est, in qua plurimum negocii sit sustinendum, Nam & leges in præsidio, & tutela tribunitiæ potestatis sunt positæ, & uestra authoritate exercentur iudicia de fortunis, & uita hominum qui imperio uestro parent. Demum uniuersa resp. in custodia magistratus uestri conquiescit. Quæ res quanquam arduæ sunt, & interdum præclaros homines de possesione gloriæ deiecerunt, non efficient tamen, ut contrahas aut demittas animum suopte ingenio fortem & prudentem; atq; ita excultum doctrina, ut uel in peruersa & stupida natura moderationem & acumen præstare posit. Ego aũt sic perspicio, sic iudico, te in isto obeundo munere ita esse animatũ, ut non cum aliis sed tecum ipse iam sis certaturus; quum istum tibi magistratum proposueris quasi theatrum exer

cendæ uirtutis, quæ in luce istius urbis nobilissimæ atq; in au ribus cunctarum gentium, & nationum sit posita. Et quoniam meo mihi iure id uideor posse facere, quando in Sacerdotum ordinem sum cooptatus; hortor te,ac(si pateris) moneo, ut à Deo Opt. Max. benegerendi magistratus initium auspiceris, siue cuius ope, ac numine omnis nostra est inanis industria. De meo autem erga te studio non est ut in præsentia quicquã scribam; quum mens in te animus,si non officio ullo, saltem opinione egregiæ meæ uoluntatis,tibi(ut opinor) semper fuerit exploratissimus. Vale.

H.Niger,P.Alcyonio.S.

QVo die fuimus unà,statuimus,ut postridie domi te ex pectarem,sed quum hæc ipse pollicebar,non recte me moria tenebam uetus illud prouerbium, Nescis quid uesper uehat. Nam simulac domum reuersus sum, ecce mihi redduntur literæ,quibus moneor à contubernalibus meis, ut quàmprimum patauium aduolem mea causa: Coactus sum itaq; discedere te insalutato,ac propemodum decepto, sed, qui tuus est in me amor,metieris omnia meis commodis,tan tumq; existimabis tibi utilitatis prouenisse, quantum mihi hæc res bene,ac feliciter cedet; Quanquàm profecto quid ipse spei concipiam,haud satis scio:Aduersarius enim meus aduocata agrestium manu in possessione se continet, pauci ex nostris iussu principis eò profecti fuerant,ut eum de possessio ne deiicerent, extruderentq;, sed re infecta redierunt: Princeps noster negat uelle se amplius rem ferro, armisq; decernere,quæ legibus & sanctionibus decerni possit. Quamobrem id causæ ad eos referemus,qui huiusmodi controuersias cogno scunt: Marino Caballo summæ spei lumini cõtubernali nostro per gratiam fuit audire ex me, quo studio, qua diligentia, te eo die contuleris ad Corneliorum Domum, ut eum conuenires,ac salutares:Is meas literas Principi legendas dedit, in quibus de homine illo barbarissimo fiebat mentio. Explicauit etiam huic causam indignationis nostræ, & ingratissimi hominis insolentiam propallauit: Sanè mi Petre, (ut & hoc tibi beneficium acceptum referam)ita me tuis uerbis, tuaq; au

horitate ad resistendum his barbarorum conatibus excitasti ut quicquid deinceps oratione,literis,omniq; studio efficere potero ad horum impetus reprimendos,ingenue ac liberaliter sim facturus,nec unquàm desinam dissuadere iis, quorum in hac re plurimum ualet authoritas,ne ex ultima barbaria conquirant homines,quos amplexentur, atque ornent, quum habeant in media italia uiros,qui multo præstantiore doctrina, & maiore modestia præditi sunt,quàm barbari.Vale & me ad Kal.octobreis expecta.

✱. . . . . . . H. N.

ET si multa me ab hoc litigandi onere deterrebant, meæ tenues fortunæ,labor,&litium comes sollicitudo,Suadebantq; multa,atq; in primis meorum ratio studiorum ut ad otium me,quoquo pacto possem,traducerem, Tamen ea mihi occasio,eaq; necessitas oblata est,in qua si mihi ipse defuissem sublata in posterum omni fruendi otii spe,ea dignus calamitate uisus essem,quam ipse per negligentiam,& socordiam aluissem. Videmur enim in ea nos tempora incidisse, quibus per turbatis rebus omnibus tam priuatis,quàm,publicis, nullum omnino locum apud primarios uiros bonæ artes obtineant, Quarum studio qui tenentur, ii ne magnis quidem laboribus, diuturnaq; seruitute rationibus suis consulere posse uideātur. Cuius ego communis exitii, fui non modo spectator ac testis, uerum etiam particeps,Nam quum omnem fermè ætatem in hac urbe, atq; in summorum antistitum contubernio consumpserim,ad extremum malo meo fato (ne quid grauius dicam) coactus sum ad lites descendere,atq; innumerabiles fori iudiciorumq; molestias haurire.In quo tamen illud me unum mirifice consolatur; quæ te non tam meæ caussæ,quam fortunæ cognitorē ac iudicem sortitus sum uirū ea probitate,Doctrina prudentia præditum,ut si mihi ipsi facultas deligendi iudicis data esset, unum te delegissem, qui non solum de fortunis meis ac dignitate ,sed de mea etiam salute, ac uita cognosceres.Quamobrem tuæ humanitatis est dare operam, ut maturius quam fieri potest,huic meæ de te opinioni,expectationiq; respondeas. Quod si,ut spero, perficies meum erit omni studio

committi,ut intelligas,te apud hominem gratisſimum, tuaq; beneficentia non indignum,beneficium poſuiſſe.

Iacobo Sadoletto H.N.

MAgna moleſtia liberatus ſum Pauli nepotis tui litteris, quas ad me ſexto idus martias dedit, Nam poſt reditum tuum à Maſilienſi conuentu, nihil certi de te ad hunc diē cognoueram. Vide ſatiſne æquum eſt profectò humanitas tua non pati nos tanto in deſyderio litterarum tuarum uerſari, qui ſi te ut grauiora impediunt. Habes nepotem, qui nos tuis uerbis ueluti dormientes excitet, quanquam enim omni in cœtu,& quotidianis ſermonibus noſtris Viget ſemper tui commemoratio abſentis,tamen neſcio quo pacto fit, ut cum à te nobis redduntur litteræ, ingenti uoluptate replet animos noſtros iucunda tui recordatio excitamurq; magis ad uirtutē & gloriam quaſi uocem hortantis imperatoris ipſo in prælio audire uideamur.

Lazaro tuis uerbis diem dixi,id quod mihi Paulus nepos mandarat,is diligenter ſe expurgat,Calamitatisq; loco maxi mæ ducit,quòd eæ literæ,quas ad te ſe dediſſe affirmat, tibi non fuerint redditæ.Nos uulgarem excuſationem non accipimus,urgemus hominem uehementer,ac ueluti deſertorem amicitiarum in iudicium uocamus,erunt iam huic omnes ora torii loci pertractandi euoluendi,totaq; dicendi ars,quam pro fitetur in lucem ac forum proferenda,ſi ſuam ipſe cauſam uelit defendere,ſed quantum coniectura aſſequi poſſum, huius ſpes omnis in tua humanitate,& clementia poſita eſt, Erunt tuæ partes accerſere hominem ad te,neq; ſcriptam defenſionē accipere,Sic enim fiet,ut(quod facere aliquando cōſtituimus) binos apud te menſes ponamus,inſtar diuturnæ ac beatæ uitæ.Tibi quidem non concedimus, ut huiuſce rei tu cupidior ſis,quam nos ſimus.Quare ubi & otium & tempus idoneum nacti fuerimus,conuolabimus.Deſyderium urbis Romæ iā depoſuimus, immo uero eius mentionem perhorreſcit animus noſter,eorum memor quæ miſerrima uidimus, & perpeſſi fui mus,Vrbē modo incolimus natura amœno, atq; ubere ſita loco,arte munitisſimā,&quæ a profugis condita,iure perfugium,

dicitur,pierius ualeremus, qui modo est apud nos, multã tibi salutem dicit,paratq; particulam libri τῶν ἱερογλυφικῶν, quam ad te mittat.
De heliodori negotio abunde scripsi ad Paulum perstare, sed etiam uehementer cupere,tu rem contra arbitratu tuo, quicquid mandaueris curabo diligenter.

Hieronymus Niger,Antonio Florebello. S.

PErgratum mihi fuit ex Sacrati sermonibus cognosse incolumen te in patriam reuertisse:sed mentio inter nos habita de te,deq; Sadoleto ipsius auunculo, qui proxime est mortuus,auxit dolorem nostrum,communisq; calamitatis memoriam renouauit.Nam si alienis hominibus,atq; inuidis, talis Viri interitus non potuit non esse luctuosus, atq; acerbus,præsertim hoc tempore,quo illius sapientia & probitas,afflictis rebus opem aliquam afferre potuisset,Quanto luctuosior, acerbiorq; ,esse debuit nobis amicissimis? quibus multæ eximiæq; illius uiri uirtutes diuturna familiaritate, & quotidiano usu exploratiores erant quàm cæteris. Amisimus breui tempore quattuor insignes pietate,& doctrina Viros eiusdem ordinis, eiusdem in Republica sensus & uoluntatis, eosq; inter se summa necessitudine coniunctissimos, FREGOSIVM, CONTARENVM, BEMBVM, SADOLETVM, Quattuor clarissima ætatis nostræ lumina,& (quod ad meam priuatam calamitatem pertinet) omnes beneuolo in me animo,atq; egregia uoluntate, Quam Ego Cladem reipublicæ quoties consydero (id autem fit fere quotidie) toties iram in nos Dei Optimi Maximi perhorresco, cuius gladium iam districtum, atq; è uagina eductum in perniciem sæculi nostri uidere Videor, nam (quod ad illos attinet) gratulandum potius est illis, quos mortis opportunitas tot iam imminentibus malis,ruinisq; subtraxit.Nobis uero deploranda est calamitas nostra quod tum præcipue subsederint fundamenta Reipublicæ, quum ea maxime tot machinis Oppugnetur ut nihil aliud iam,quàm uastitas,& ruina superesse uideatur.Quo fit ut æquiore animo ferenda sit mors non modo amicorum, sed etiam nostra si forte& nos eandem,quam illi uiam confecerunt,ingre

diemur,priusquam nos precipitans tempestas absorbeat; Memoria teneo CONTARENVM nostrum supremo uitæ die, quum a familiaribus suaderetur ut eo animo perferret mortem, quo Philosophum, & Christianum hominem deceret, ut cum uita pie sanctéq; acta mors ipsa consentiret, exhilarata fronte respondisse, agi secum felicissime, quod tum uita excederet,quum plurima&maxima undiq; circunstarent pericula, Nec longe abesse tempus quo superstites homines præclare actum cum mortuis essentqarbitraturi. Quamobrem te hortor & amice moneo, ut si quis adhuc animo resedit tibi dolor ex patroni amantissimi interitu, eum penitus abiicias, præstesq; te eum uirum, quem tua singularis eruditio,& tantæ uirtutis imitatio postulant, incumbas autem toto (ut aiunt) pectore, ut quæ SADOLETVS ad usum posteritatis conscripsit, ea primo quoq; tempore proferantur in lucem;Hanc existimo nō postremam fore curam Pauli nepotis, quem si tua diligentia adiuueris,non tam SADOLETI gloriæ quàm officio tuo & publice consules utilitati. In quo meam quoq; ipse operam polliceret,nisi uos abundè satisfacturos putarem. Cætera autem quæ pertinent ad mea erga te beneuolentiam declarandam; ita polliceor,& præstabo, ut maiore studio polliceri, & præstare non possem,si SADOLETVS ipse uiueret meumq; officium exposceret,cui omnia debebam.Vale.

Cardinali Auxitan. H. N.

ET si tanta est negotiorum tuorum Moles Amplissime pater,ut magnopere uerear ne, meæ litteræ molestiam potius Amplitudini tuæ afferant, quam uoluptatem,tamen,si pōtificio nuntio Istuc proficiscenti, nihil ad te literarum darem, alieni abste animi commutatæq; meæ uoluntatis iudicium fore existimaui,præsertim,quum is mihi amicissimus a me peteret,ut ista in prouincia, sua ipsius opera uti uellem meo arbitratu.Ego uero nec cuiusquam operam libentius quam tuā mihi expetendam duco,nec si quid mihi de tui Regis munificentia unquam pollicitus sum,quicquam,nisi, te Duce, & Auspice, bene ac feliciter mihi euenturū speraui, cum qui ad te pertinere existimarem uiros tui ordinis Temporum calami-

tate

tate oppressos leuare, & quibuscunq; posses officiis prosequi, tum qui non uulgaris tua erga me beneuolentia coram egregio uerborum testimonio sæpe declarata.Id à me suo iure exigere uidebatur,ut in te uno ueluti in sacra Anchora spes omnes mea collocarem.Quare,proficiscentem istuc nuntium, rogaui,satisq; sua ipsius sponte propensum cohortatus sum ut te in primis meis uerbis exoraret, ut reconciliandæ mihi regiæ beneuolentiæ Author esses, ac isti, liberalissimo principi, in animum induceres,non nihil sua interesse hac dignitate homines inopia, circunuentos subleuare, neq;tibi difficile futurum arbitror illi in memoriam reuocare, quo semper studio maiores mei,atq; ego ipse Res gallicas & præstantissimã istam progeniem prosecuti fuerimus,& prosequamur.Cætera, prudentiæ tuæ commemoranda relinquo,meq; totum fidei tuæ, ac diligentiæ permitto,ac trado,nuntium uero tibi de meliore nota commendo, uirũ quod agnoscere poteris, ingenio, doctrina, moribus præstantissimum, ac Gallici nominis, adeo, studiosum, ut in Gallia ipsa natum,atq; altum putares. Felix ualeat amplitudo tua.

Hieronymus Niger Iacobo Sadoleto Carpentoracten. Antistiti.

SAtis non fuerat me post euersam Vrbem, e naufragio illo emersum ad patrium litus adnatasse, nisi ad spectandos deflagratæ urbis cineres rediissem. Sed is est rerum status, atq; ea totius ferè, italiæ calamitas,ut nullus ferè,sit angulus, in quo non aut hostes sæuiant, aut Tyranni dominentur.Quare haud iniuria gratulandum tibi est, qui in tantis tempestatibus sis propè unus in portu,fructusq; uitæ percipias eos, qui à sapientibus uiris maximi, iucundissimiq; habentur. Quem sanè portum,& exoptaui ipse semper,&tu, quæ tua est benignitas communem mihi esse uoluisti,uerum nescio quo pacto me ad istum,auem,cursumq; diligentem reflantes semper uenti repulerunt.Quum enim recuperata ualetudine ad te proficisci statuissem,cognoui,mare ligusticum hostili classe, cisalpinam omnem galliam hispanorum præsidiis teneri,omnes deniq; adi

tus partim ui,partim insidiis adeo interclusos esse,ut ne deda lus quidem, quod in poetarum est fabulis, tuto istuc aduolare potuisset.Itaq; Romam ueni ad Quint. Idus Februa.adductus potins tedio patriæ, quam desyderio urbis illic enim multa erant,quæ me molestia afficerent cum priuata, tum publica. Nam & si nostra illa urbs, loci natura, atq; humana ui munitissima est, omniq; seditione,& ciuili uacat discordia, præterea nihil desyderat quod ad commoditatem uictus,& ad ciuilis, uitæ splendorem pertineat.Sustinet tamen diuturnum, & grauissimum bellum,quod exinanito ærario,uectigalibusq; diuenditis, priuatis ciuium fortunis administratur, nec ordini quidem nostro parcitur nouo more,quod sanè incommodum, fortunarum mearum exilitas, tibi iampridem cognita ferre non poterat, Quamobrem diuerti huc eo scilicet animo, atq; consilio, ut quum primum per tumultus bellicos liceat ad te proficisci,utar liberalitate tua ,nisi tu forte de repetenda urbe cogitas, quod certe consilium nec mihi facile probatur, nec opinor tibi pro tua prudentia probatum iri. Quis est enim tam iniquus rerum ,æstimator tam leuis, qui quum quieti & otio florentem urbem & amplissimum locum posthabuerit, Mox euersæ urbi, rebusq, perditis otium cum digni tate posthabeat? Nolo tibi ea commemorare,quæ Vulgi animum mouent, amisisse nos hominem frequentia, splendorem, patentem oĩbus fortune campum, quibus oĩbus, ut tute sapiẽ ter,ad me scripsisti(fortasse utilius est carere, quam abundare) Illud unum, quod per magni ipse semper æstimasti, ne præteribo,amisisse nos eruditorum uirorum iucundissimam consuetu dinem,qua sic caremus,ut uix unum aut alterum ex uetere illa nostra academia superstitem inuenerim loqui omnes enim fere aut naufragio illo perierunt,aut tempestate compulsi sunt in longinquas oras, mentionemq; ipsam urbis reformidant, Superest tamen ex sodalibus nostris Sauoynorum princeps illo eodem uultu,atq; animo, quo semper fuit. Quẽ quum forte offendissem in uia hilarem,& non minus curis quam fortunis dispoliatum, continere risum non potui, tanto in luctu, & squalore ciuitatis. Vtinam, inquit,cum philosopho superasse, Hispanus miles tractauit me pessume, idem tamen accidit &

Reuerendisſimis. Communis hæc eſt ac præuulgata Romanorum ciuium conſolatio, uidere hos primates, non modo ſordidos, ſed etiam ſordidatos. Et tamen non defuere qui tantum indignitatis, tantum ludibrii magno ambitu, magno auri põdere coemerint, quos quum populus Rom. uidet ſine grege incedere, multa fame confecta uehi, nihil aliud ex priſtina fortuna, quam ridiculam ſuperſtitionem retinere, oblitus omniũ calamitatum ſuarum ſoluitur in cachinnos maximos. Hæc habui quæ ad te confeſtim ſciberem. Nam pueri tui mihi denũtiarunt, proxima nocte certum hominem in prouintiam iſtam diſceſſurum. Clemens Pont. Max. è morbo tandem conualuit, quotidie in ore habes diuinum conſilium tuum de profectione ad Cæſarem, & de pace publica, quo ſi integris rebus uſus fuiſſet, non laboraremus. Cura ut ualeas & Paulo Nepoti, meis uerbis plurimam dic ſalutem. Vale iterum & me (ut facis) ama.

Pro. F. Car. Cornelio ad Ia. Baniſin.

EX tuis literis Tridenti datis Sexto Idib. aprilis, quæ mihi reddite ſunt ſexto Kalen. maias, incredibile cœpi uoluptatem, quod ex his facile tuum erga me animum cognouerim, & quodammodo introſpexerim, quum tantopere moleſtum tibi fuiſſe ſcribas, priores tuas literas, quas ad me congratulationis cauſa dederas, intercidiſſe. quãquam mi Baniſi non fuit tibi ea in re magnopere elaborandum, noui enim candorem animi tui, & tua erga me beneuolentiam, multo quidem Illuſtriorem, quam ut ea hiſce uerborum teſtimoniis egere uideatur, Lætor tamen lætari te meis honoribus atq; ornamentis, quæ tibi ſemper uolo eſſe communia, quamquam in eam incidimus tempeſtatem, ut prudentisſimum cuiq; uiro, minus graue ſit iacere in ſentina quam ad clauum ſedere, adeo confuſa, & perturbata ſunt omnia, preſertim ordo noſter, cuius omnis dignitas, & authoritas armorum ui oppreſſa, ſceleſtisſimorum latronum facta eſt opportuna iniuriis, uerum nos diuina (ut decet) ope freti in officio, perſtabimus, nec unquam reipub. chriſtianæ cuius quota portio ſumus, aut amicis deerimus, in Baniſiũ uero qua iandiu fuimus ea ſem-

per futuri sumus uoluntate,naturaq; in te omnia summa necessitudinis officia constabunt,&quando me uehementer sollicitat ualetudo tua. mitto ad te descriptam rationem medelæ, q̃ multi ex nostris ad podagræ pedũ dolores saluberrimã deprehenderunt,ea si profuerit,hanc mercedẽ abs te exigit medicus,ipsum ut conuenias coramq;,ei gratias agas , hoc illi gratius facere poteris nihil.Vale,

Hier. Niger Paulo Sadoleto.S.D.

ET si non dubitabam quin anteq̃ hæ tibi literæ redderentur, omnem penitus dolorem ex obitu patris abiecisses. Quum morbi eiusmodi,in tam bene instituto animo diutius hærere non possint.Tamen quia uerebar , ne quid de summo meo erga te amore detractum uideretur, nisi communem mihi eam calamitatem fuisse declarassem; & nonnulla ad te consolandum idonea attulissem , putaui non alienum esse nostra necessitudine quæ accepto illo nuncio mihi in mentem uenerunt,ad te perscribere.Atq; in primis admonendum te censeo ne a me expectes uulgatam illam quidem,sed è fontibus philosophorum haustam consolationem. Nihil mali esse in morte , quæ plerunq; ex multis miseriis , atque ex iniquissima conditione uitæ eripiat homines, & ad immortalitatem traducat , nec uideri cur magnopere doleas,patrem exacta iam ætate, honestissime acta uita,relictis liberis eximia spe summæ uirtutis adolescentibus,domi,atq; in patria diem obiisse. Imbecilliq; esse animi,ne dicam amentis,id moleste ferre, quod mutari nequeat.Demum turpe esse uiro disciplinis liberalibus instituto,ad leuandum dolorem,beneficium temporis expectare, q̃d ipse consilio,prudentiaq; præripere ualeat. Et sexcenta huiusmodi,quibus plura,& ornatiora apud uos uel parietes isti loqui posse uideantur. Vnum illud meo quidem iudicio amplissimum consolationis caput ne præteribo,quo, si quemadmodũ mihi ipse persuadeo,es usus,non dubito quin repente omnem dolorem abieceris.Est autem hoc,non debere te interitum patris ferre immoderatius,quum patris loco, patruum habeas tali uirtute,& sapientia Virum,tantaq; erga te beneuolentia, ut

in altero principem locum teneat,in altero, ne parẽti quidem tuo cedat.Quæ quum quotidiano usu ipse optime intelligas, atq; agnoscas,ob eamq; causam relictis parentibus & patria illum in extremas & longinquas oras sis profecutus, cauendũ tibi est,ne non modo ignari,atq; inconstantis, sed etiam ingrati hominis notam subeas, si casum hunc grauius ferendo, tam egregiam illius in te uoluntatem parui æstimaris, neque usus fueris domestico exemplo uirtutis & prudentiæ, cuius ille est omnium gentium consensu magister ac princeps. Sed de his satis,& fortasse plura,quàm necesse fuerat.Ex literis patrui tui uoluptatem cœpi maximam,quarum erat in extremo te in optimarum literarum studiis tantos processus habere, quantos uix ille met tui amantissimus optare audeat. Equidem mirifice lætor fuisse abs te mihi præreptum locum monendi tui,atque hortandi ut rectum iter ad gloriam insisteres,neue discederes a patrui uestigiis,quæ te ad immortalitatem ducere possunt.Video enim iam tibi deesse nihil, quo minus familiam tuam singulari patrui uirtute,eximiaq; doctrina illustriorem factam,perpetuo tenore in authoritate & gratia contineas.

Nam & ingenium tibi acre,atq; excellens est, uelut peculium à maioribus tuis relictum,cupiditas uero atq; ardor ueræ laudis tantus,ut si alterutrum necesse sit,freno potius egeas,quàm calcaribus,Ad hæc uersatur tibi quotidie ante oculos præclarum exemplar omnium disciplinarum,atq; uirtutum,de cuius uno intuitu,atq; admiratione,ueræ sapientiæ ac beatæ uitæ rationem petere potes.Cohortatur te insuper loci amœnitas, & undiq; pacata ora,in qua sine ullo interpellatore,licet tibi in literis totos dies ponere.Quo sanè beneficio ipsi iampridem caremus qui hanc sedem belli, & hoc receptaculum omnium miseriarum incolimus, proinde nihil à uobis humile, nihil etiam mediocre est, expectandum, sed eiusmodi, quod apud posteros testatum relinquat, quibus ingeniis floruerit ætas nostra, & quantum ad splendorem ueteris gloriæ accessura fuerat, nisi in tantas calamitates incidisset. Videor enim mihi iam diuinare futurum breui, ut armorum ui oppresse, & consepultæ literæ paulatim in eas sordes relabantur, in quas olim uastantibus italiam barbaris

conciderant.Idq; coniicio cum ex physica quadam ratione, quod necesse sit,quæcunq; incrementum,statum, & decrementum recipiunt, ubi ad summum apicem peruenerint, retro uerti,atq; in preceps labi,tum uero ex hisce infinitis Italiæ calamitatibus. diuturnaq; hac despetatione rerum naturarum, in quam nostrorum hominum culpa concidimus. Hinc facile existimem fore,ut extinctis iis, qui latinæ linguæ dignitatem tuentur, in eorum locum non suborientibus aliis, id usu ueniat hominibus nostris, quod malis agri cultoribus euenire solet,qui nisi inferendis, propagandisq; arboribus ac uitibus dét operam,cito ad inopiam rediguntur. Sed hæc posteritas ipsa uiderit, nostrum est, quam semel ingressi fuimus uiam persequi,nec ab hoc cursu ueræ gloriæ,iniuria temporum deflectere. Quod facio ipse,quoad possum,cum mea ipsius sponte, tum patrui tui hortatu,cui uel hoc nomine fateor me debere plurimum.Tu uelim quam sæpissime ad me scribas,atq; ignoscas, quod superiore anno morbo impeditus literis tuis non responderim, id enim incommodi,(si modo est incommodum) multitudine literarum sarciam.Vale & me quod facis ama.

Philippo Stanchario.

CVm audissem te in proximum annum,tui ordinis antisti tem renunciatum fuisse,sanè æque ac debui gauisus sum, non tuo quidem ipsius commodo,atq; honore iampridem debito,qui si cum onere prouinciæ contetatur profectò, plus tibi molestiæ sit allaturus quàm uoluptatis,sed reip.causa, atque istius ordinis utilitate,quæ mihi semper fuit carissima. Neque enim dubitandum cuiq; est,quin tibi iam ætate confecto, & literarum studiis ac religioni delitissimo, longe conducibilius fuisset domi in priuata uita conquiescere, quàm me hanc modo illam prouinciam peragrando tam graue onus regendi homines moribus,ac natione mirum se diuersissimos subire. Verumtamen Deus ille omnium rerum conditor qua sapientia mundum creauit,eadem gubernat,ac regit, Et de tanta mortalium turba quæ ad parendum alienis imperiis nata est,non nullos seligit,probitate,ingenioq; præstantes, quorum cura &

prouidentia Regna, Respublicæ, Ciuitates, & conuentus hominum regantur, Qui si forte cum ad regendum apti sint, prouinciam recusauerint, meo quidem iudicio, non tam Remp. quam Deum opt.max.grauissime ledunt. Proinde censeo te cui semper curæ fuit quibuscunq; modis posses iuuare remp. quodq; accepta a Deo beneficia, ingenii ac sapientiæ tuæ cunctis mortalibus communia semper te uoluisti, libenti ac forti animo istud oneris subiturum, daturumq; operam, ut pœniteat patres conscriptos, serò admodum te ab ipsis ornatum honestumq; fuisse. Quod præclare feceris, si in primis pacem & concordiã tui ordinis conseruaris, si res nouas moliri neminem sinis, si modestiam & urbanitatem, plus q̃ insolentiam, & rusticitatem ualere uolueris. Quæ tibi ut commemorare fecit meus in te amor meq; in istum ordinem summa obseruantia, non ꝙ hoc te ignorare existimem quem ego auctorem ac præceptorem mihi semper imitandum colendum proposui. Superest illud unum, ut intelligas me eodem esse erga te animo quo semper fui, amicissimo scilicet, ac beneuolentissimo, quod etsi tibi iãpridem exploratum ẽt opinor, tamen exploratius futurum confido, quum ad urbem accesseris. Vale.

Hier. Niger, Benedicto Lampridio S. D.

SI de tuæ in me uoluntatis constantia dubitarem, conarer pluribus me expurgare, quod post aduentum hic meum nũquam ad te scripserim, culpamq; omnem in quotidianas occupationes meas reiicerem, quas augerem uerbis eorum more, qui in colendis amicitiis adeo religiosi esse uolunt, ut interdũ ad ineptias descendant, sed ea semper fuit iam inde a pueris necessitudo inter nos, eaq; in omni cursu nostro totius uitæ similitudo studiorum, ac uoluntatum, ut nunq̃ a nobis illi nexus, illa uincula desyderata fuerint, quibus uulgares amicitiæ contineri solent. Nunc uero proficiscenti istuc Bernardino Mapheo Ciui Romano eximia spe, optimis moribus adolescẽti, non potui nihil ad te literarum dare. non quo tibi hunc cõmendarem, quẽ confido sua ipsius urbanitate, ingenio, studioq; in te suo, biduo tibi familiarem futurum, sed ut aliquem huic

aditum ad tuam cognitionem meis literis patefacerem. Cætera ipse abs te (quæ tua est humanitas) facillime impetrabit. Is quum statuisse ad nobilissimum istud orbis terrarum gymnasium sese conferre exemplo suorum quintium, qui disciplinarũ causa athenas (ut scis) nauigabant, petiit à me summo studio, ut te sibi q̃ maxime conciliarem, quem speraret in omni recta ratione studiorum maximo sibi adiumento futurum, testatusq; est, id se illustriore gratia excepturum, q̃ si in eum quoduis genus officii contulissem. Potes ex hac cupiditate fruendi consuetudine tua, coniectura consequi, quem auditorem sis habiturus, quippe qui studio ueræ gloriæ incensus, nostroq; de te uerissimo testimonio incitatus patriam, parentes, & urbanas delitias præ te contempserit. Nolui deesse amico in re minime necessaria. Non enim uereor ne tuis officiis omnes spes, & cogitationes nostras facile uincas, quum nemo te ad docendum, aut aptior sit aut paratior. Vale.

Ad Franciscum Gallorum Regem H. N.

QVod mihi semper optatissimum fuit Francisce Rex Maxime, ut meæ musæ aliquem mihi aditum ad tuum cognitionem patefacerent, uideo me aliena quadam à proposito meo ratione fuisse consequutum qui quum maluissem tuas, & gentilium tuorum uiuentium laudes celebrare, cogor nunc mortuorum memoriam carminibus prosequi, ea est enim laudandæ matris tuæ mihi oblata occasio, quam quum multi tum oratores Clarissimi, tum poetæ præstantissimi, & libenter sumpserint, & ex ea non mediocrem laudem fuerint consequuti, ego unus auersati sine scelere non potui, qui si ad eorum gloriã proxime accedere, ac Nobilissimè fœminæ præclaras uirtutes æquare uersibus non poteram, tamen pro meo in te studio conari, atq; in eorum numerum referri debebam. quum presertim considerem pro tua pietate non posse ea tibi ingrata, & iniucunda uideri, qualiacunq; essent, quæ parentis tuæ laudes continerent. Quod si intelligam hæc ipsa quæ ad te mitto, illustri abs te gratia fuisse excepta, feliciore posthac argumento prætentato uado altissimum tuarum laudum flumen ingredi

non

non pertimescam.

Hier.Niger Bernardino Mapheo. S. D.

EGo uero,Maphee,te incolumem Patauium peruenisse,omniq; humanitatis officio à Lampridio exceptum fuisse uehementer lætor. Sed tantum abest ut, ullam abs te mihi hoc nomine gratiam referri uelim,ut fatear me tibi debere plurimum, quòd conciliandæ inter uos amicitiæ,quam tua tibi uirtute conciliare potuisses,authorem me esse uolueris; Ex quo quidem officii genere, eiusmodi fructum expecto, qui uoluptatem mihi maximam,tibi uero immortalitatem nominis sit allaturus. Nam quum ad summam ingenii tui uim, summamq; cupiditatem ueræ gloriæ, quam in sapientia positum esse uel indoctissimi homines confitentur. Accesserint tibi loci commoditas,otium, mediocritas fortunarum,præceptoris Clarissimi diligentia,nihil iam de te non excelsum,ac summum polliceri nobis possumus, & debemus. Dices fortasse duram tibi aduersariam esse propositam, magnam scilicet expectationẽ, quam apud nos iampridem concitasti.Et ego admodum lenẽ, & infirmam censeo aduersariam,quam posis nullo negotio superare,quum nihil aliud ad uictoriam desit, quam certandi uoluntas, quam certe summam atq; incredibilem in te esse, uel ex eo facile perspici potest,quod adolescens patria omniũ Nobilissima, parentibusq; honestissimis relictis,te ad celeberrimum istud Gymnasium contuleris,ut doctissimorum uirorũ præceptis eruditior factus,Doctrinæ & eloquentiæ palmam in hanc urbem aliquando reportares. Plura in hanc sententiam scriberem,nisi cum te esse cognoscerem,qui si in alterutro peccares,Theopompi magis, quàm Ephori similis uiderere.Pater tuus bene habet,atq; hoc melius, quod ex tuis ad me literis te ualere,(quod nondum cognouerat) intellexit. Itaq; tuæ literæ Patrem, cæterosq; tibi necessitudine,ac propinquitate deuinctos magna solicitudine liberarunt.Tu fac Valeas, meisq; uerbis Bembo,Lazaro,Lampridio,& Pierio dic salutem.

Francisco Columnæ S.

IVcundissima mihi fuerunt,quæ nuper ad me misisti carmina,non quod ea meas laudes continerent,fuit enim illud amoris non iudicii testimonium,sed quod ex eis planè cognouerim rectum te iter ad eam laudem insistere, quam mihi ipse beneuolentia ductus adscribis.Etenim quum tot præclara ætatis nostræ ingenia partim turbulentis bellorum procellis obruta fuerint,partim auaritia principum exaruerunt, Nonnulla etiam(ut fit)naturæ concesserint,iure nobis lætandum uidetur, ubi in eorum locum succedere alia,& quasi propagines magnã spem frugis afferentes consurgere animaduertimus. Itaq; gratulor non solum tibi,sed & patruo tuo Pompeio , uiro dignitate & uirtute amplissimo. Nam ut ipse domestica habes uirtutis exempla,quæ imiteris,ita & iste domesticum iam habet laudatorem factorum suorum,atq; hæc ipsa laus doctrinæ,&animĩ magnitudinis ita utriq; uestrum communis est,ut neuter alterius operam studiumve desyderet . Quamobrem sperandum nobis est,ut uestra uirtute,atq; industria depulsa aliquando horum temporum caligine,serenus tandem nobis illucescat dies, & in antiquum decus non Romanæ solum linguæ,sed & imperii dignitas restituatur.Vale.

Hier.Niger Bernardino Maphæo. S.

IVcundissime mihi fuerunt literæ tuæ.x.Kl. Februarii Veronæ datæ, ꝙ ex eis cognouerim,quantum spei in Lampridiana consuetudine posueris,quantumq; de te ipso nobis pollicea re.Nihil est enim(ut opinor) ad gloriam conducibilius præclaris ingeniis,quàm magna concipere, & excelsum sibi locum proponere,ad quem dum summo contendunt studio , laborem omnem facilime perferunt,eorum more,quibus iter q̃ longissimum est conficiendum,quod se conficere non posse animaduertunt nisi summa celeritate diligentiaq; utantur. Quod autẽ Lampridius tibi apprime satisfaciat, ualde mihi est gratum , proinde ab istius uiri latere,quoad fieri potest, ne abscedas . Non ꝙ cæteri,optimarum literarum professores contemnendĩ

ſint,quos excellens eorum doctrina,& urbanitas tua poſtulat, ut obſerues & colas,ſed ꝙ præceptorum eadem fere habenda ſit ratio,quæ medicorum,qui ſi familiares nobis fuerint, plurimumq́; apud nos fidei & auctoritatis ſibi comparauerint, plerunq; in tuenda noſtra ualitudine, morbisq́; depellendis feliciores eſſe uidebuntur,q̃ externi & noui, q̃q̃ ne in hoc quidem ipſe monendus es,quem lætor iam præripuiſſe mihi omnes locos te monendi atq; hortandi,ſed meus in te amor interdum facit,ut quantum ipſe diligens in ea re ſis,facile obliuiſcar. Vale.

Iac. Sad. H. Niger

QVas ad Ioannem Petrum Caraffam Theatinum Cardinalem mihi miſiſti literas, eas quamprimum reddidi ſeramq; tuam gratulationem apud hunc, quoad potui, appoſitis uerbis excuſaui. Qui ea qua præditus eſt in dicendo grauitate, & qua in te eſt beneuolentia facile me hoc excuſandi onere leuauit, illudq; addidit mirari ſe uehementer,cum tot alii Clarisſimi Viri ad iuuandam Remp. huc undiq; accerſiti fuerint,te fuiſſe præteritum quem imprimis idoneum, atq; opportunum agnoſceret. proinde ſe non commiſſurum, quin hac de re admoneat eos qui rerum arbitri ſunt, & moderatores.Ego uero reſpondi nullo me loco de fuiſse,ut te uocato rationibus Reipublicæ conſuleretur, quod te ex meis literis iampridem noſſe intelligo. Sed exiſtimaſſe non nullos minime ad hanc rem opus eſſe iuris Pontificii ſcientia, quæ tota à germanis iam exploſa & eiecta ſit, ueluti in gratiam Romanorum pontificum compoſita atq; confecta. At Theatinus non eſt, inquit, ex illa iuris peritorum fece Calliſtus noſter,quippe quem inter ſummos Theologos rectè connumerare poſſumus,non modo ob uerã ſolidamq́; doctrinam, qua eminet, ſed etiam ob integritate uitæ, ſingularemq; ipſius in eccleſia regenda ſolertiam. Hæc, & multo plura de te colloquuti fuimus ſumma cum prædicatione uirtutum tuarum, qua potes contentus eſſe, potius quam his honoris inſignibus, quæ multi ſine uirtute ſunt aſſequuti,? Hodie Reginaldus Polus

Britannus Cardinalis&Io.MathæusGibertus tuus in legationẽ ſuam profecti ſunt. Adſit eis diuina bonitas & clementia, qua maxime indigent, prouinciã enim dificillimã ſunt aggresſi. Nunciatum nuper eſt Auguſtam Ciuitatem germane primariam penitus à Chriſtiana pietate deſciuiſſe, eiectis ſacerdotibus, ſublatis diuorum imaginibus, diſiectisq; templis, uides quemadmodum de auctoritate Romani pontificis aliquid ſemper in dies detrahatur,nec quicquam nobis proſit indictio Concilii, quod ualde uerendum eſt,ne Germani nobis aut uocatis,aut ſpretis,in ſua ipſi regione celebrent, & decreta ſua contra nos proſequantur armis. Parte alia Turcharum Tyrannus noſtrum ingulum petit,Hic ego nihil adhuc parati uideo præter talaria ad fugam. quæ omnia in cauſa ſunt, ut multo libentius& citius quam inſtitueram ad uos ſim Conuolaturus. Vale,&me ad Idus martias expecta.

Iacobo Sadoleto H. N.

NOnis nouembris, quo tempore difficili morbo laborabam,Binus noſter tuas mihi literas reddit tertio Idus Septembris datas,quæ (uere dicam)& corpus adfectum ægritudine,& animum dolore, ac miſeria tabeſcentem non mediocriter ſubleuarunt in eis enim non uulgare,&abreptum ex trinio conſolationis genus continebatur,ſed diuinum quiddam, atq; ex arcano ueræ philoſophiæ hoc eſt Chriſtianæ religionis depromptum,quale nullus, unquam ueterum philoſophorum, qui ſibi uitam hominum uirtutibus inſtituendam deſumpſerunt,agnouit.Nam illi magnum ac memorabile facinus edidiſſe uidebantur, ſi ærumnas hominum dicendo aliquanto leuiores reddidiſſent,tu,tuis effeciſti literis,ut non modo æquiore animo feram publicam & priuatam calamitatem, ſed ut illa etiam uelut ſingulari gaudeam beneficio,&id lucro apponam, quod magno detrimento eſſe cenſebam. Illud autem quòd in extremo literarum tuarum erat,multo mihi gratisſimum fuit, quod ipſe te mihi authorem prebueris repetendi ea ſtudia, quæ ego deſperatione quadam rerum,amiſſarumq; lucubrationum mearum dolore omittere in animum induxeram, Cuius

quidem consilii te non solum principem,& authorem exhibui sti uerum & adiutorem,facta mihi potestate omnium fortuna rum tuarum,&otii,quo istic soli propè ex omni genere morta lium hisce temporibus abundatis.Agnosco Sadolete humanitatem istam,& beniuolum tuum erga me animum,qui hoc mi hi est gratior,quo minora mea sunt merita , atq; in te officia. Sed quominus utar in presentia liberalitate tua,multa in cau sa sunt. Primum mea ex recenti morbo imbecillitas corporis, haud satis idonea longis itineribus conficiendis, deinde Tumultus hi bellici,qui aditus ad uos omneis ita occuparunt, ut ne Dedalus quidem tutò aduolare istuc posset. Sed quam primum facultas,&commoditas adeundi te dabitur,idq; tempora expostulare intelligam crede mihi, nec me patriæ dulcedo,nec propinquorum,amicorum uè ulla necessitudo continebit, quin ad te ocissime conuolem . Vnam enim dieculam quam apud te ponam,omnibus sæculis, cæterisq; omnibus uoluptatibus anteponam Gibertus tuus nudius tertius ex ecclesiastica sua prouincia huc rediit, ueritus fortasse Germanorũ ex alpibus præcipitantium tempestatem. Cæteri communes amici omnes bene babent, præter. M. Michaelium nostrum,qui uxorem duxit,quanquàm in hoc quoq; philosophum egit, indotatam enim accepit, ne ut est Plautinum illud, Dote imperium uenderet.Maronem poetam iterum obiisse scito , obiit enim Andreas noster uir Optimus,& doctissimus qui si me au disset, fortasse uiueret,& nos hac molestia careremus .Doleo amici fortunam perpetuo tenore miserabilem , Alter enim Maro(quod scis) Augustos,Mecenates , & aureum nactus est sæculum,quod & ornauit,&ab illo uicissim ornatus est,Hic noster in Calligulas, Nerones, Heliogabalos incidit, & deniq; in eam ætatem , quæ ea ratione dici potest aurea , quod de una auri ui omnis hominum dignitas & authoritas pendeat . Sed nos curabimus,ne quid propterea de nostra pristina uoluntate ac studio detractum sit,quin hoc erimus fortiores , quo maior nobis proposita est gloria.Ego certe tuo imprimis exemplo,tuisq; literis sic confirmatus animo sum,ut priuatus omnibus ferè fortunæ commodis,quæ me uel tua ope consequutum fuisse existimabam,longe alia ratione mihi posthac uiuendũ

ſtatuam,adnitarq; unius Dei Opt.Max.beneficium tueri, hoc eſt ſcientiam præteritorum errorum:quam unam ſi profitebor ſatis me locuplete eſſe,ſatiſq; ſapere arbitrabor.Tu cura ut ualeas,& crebro ad nos des literas,ne incerti de tua ualitudine agamur.

Iac.Sad. Hier. Niger. S.

MAgna ſolicitudine liberatus ſum tuis literis, quæ ſeptimo Idus Iunii abs te datæ, redditæ mihi ſunt decimo Kal.Sextilis. Cognoui enim ex eis te ex diuturno morbo, in quem ob ſuperioris hyemis aſperitatem incideras, aliquando tandem conualuiſſe. Nam quod conſilium reuerſionis tuæ in iſta loca non ſine iuſtis cauſis a te captum fuiſſe oſtendis, rem agis minime neceſſariam. Id enim non ſolum mihi, qui omneis animi tui motus iampridem exploratos habeo,ſed etiam alienis hominibus,atq; inuidis adeo iam probari cœpit, ut nemo ferè ſit,qui non te Beatisſimum eſſe prædicet,ꝙ iis tempeſtatibus ſis propè ſolus in portu, fructusq; uitæ percipias iucũdisſimos. Quæ profecto ſic inſtituta a te uitæ ratio non modo uoluptatem tibi & gloriam, ſed cæteris quoq; mortalibus & uiuentibus & poſteris utilitatem maximam eſt allatura: Tua enim opera atq, induſtria in explicandis obſcurioribus ſacrarum literarum locis,& in tuenda Eccleſia,quam ſceleratisſimi homines quotidie uexant,& oppugnant, plus pro futura eſt Reip.quàm ſi Romæ in ſenatu ſententiam diceres. Cuius omnis auctoritas ad unius hominis optimi quidem, & ſapientisſimi uoluntatem eſt redacta. Quod certe ſanctisſimum propoſitum atq; inſtitutum tuum,ut tute piè, ac ſapienter admodum ſcribis,non tuæ prudentiæ, ſed Dei benignitate & clementiæ adſcribendum cenſeo. Animaduerti enim iampridem te ſub præcipua illius tutela & præſidio eſſe poſitum, cuius ductu & ſecunda aura qui nauigant,nullos unꝗ ſcopulos nullas procellas,ne perhorreſcunt tuæ impedire aut remorari poſſunt. Memoria teneo,quo primum tempore te ex Romana clade atque ex illis cruoris gurgitibus,quibus ego penè abſorptus fui, diuino beneficio ſurripuiſti,fuiſſe nonnullos, qui diſceſſum illum

ex urbe tuum non probarint,quod, Clementem Pont.Max.cui non ingratam,neq; leuem præstabas operam in tantis rerum fluctibus & iactationibus deseruisses, at illi ipsi uituperatores tui paulopost relicto eodem Pont.rebus iam profligatis & perditis consilium tuum,quod potissimum damnauerant, sunt sequuti.Quorum è numero fuit Io:Matthæus Gibertus Veronensium Pontifex,quem postea neq; spes amplissimorum honorũ, neq; labor prouinciæ,quem sustinebat , unq̃ loco mouere potuerunt: In quo ita uixit,atq; ita est mortuus,ut magnum negotium tantæ uirtutis æquandæ successori reliquisse uideatur. Itaq; imprudentinm est hominum(ne quid grauius dicam) reprehendere officium,quod cum pietate coniunctum sit, atque aliorum studia & actiones ad suum sensum, uoluntatemq; interpretari.Sapientis autem uiri esse arbitror ob inanes uulgi rumusculos ab honesto non discedere,atq; imprimis quam personam initio fabulæ sumpsit,eam ad extremum usq; actum sustinere(ne quod multis ætate nostra accidit) spectatoribus ludibrio sit.Solemq; inuisibilem intimos animorum recessus & latebras omneis penetrantem offendat. Sed hæc tu melius.Amicis nostris,qui hic sunt ferè omnibus salutem dixi tuis uerbis,atq; eis quos in epistola priuatim nominas Theupulo, & Michaeli literas etiam tuas legendas dedi,qui saluté tibi red dunt cumulatissime.Sacratus tuus qui apud nos est, magnos ꝓgressus facit in studiis optimarum disciplinarum , ut de hoc iuuene summa omnia nobis polliceri aut debemus Lazari nostri assiduus est auditor,qui constituit sequenti anno,diuinos libros.M.Tullii de Oratore,& Arist.Rethoricem prælegere . Nosti hominis eruditionem,diligentiam, probitatem, q̃q̃ magna mihi est in eum expostulatio &querela,statueramus enim unà uenire ad te,& æstatis particulam tecum agere iucundissime,at nunc homo elegans impediri se inquit, ꝙ non tam libris,q̃ liberis sibi danda sit opera,patri ut obtemperet suo . sic enim se aduersus accusatores suos defendit. Sed non despero fore,ut aliquando conueniamus , Interea uiuet apud nos tui nominis memoria sempiterna,paucissimiq; elabũtur dies, quibus sermones nostros tui mentio non exhilaret. Paulum Nepotem,Florebellum,Herculem meum saluos esse & ualere cu-

pio,familiares præterea reliquos, qui mihi tua causa sunt charissimi.

Philippo Venerio Sebast. F. H. N. S.

INcertum mihi est,maiore ne dolore quam uoluptate me affecerit,Leonardi patrui tui mors,& parentis in locum demortui fratris cooptatio eodem ferè tempore mihi nunciata; quod enim Clarissimus ille uir mortem obierit,qui cum patriæ,tum familiæ uestræ honestissimæ non parum ornamenti atq; præsidii afferebat,non solum mihi,qui uos unice amo,atq; obseruo, sed cunctis Ciuibus , qui Remp. saluam & florentem esse cupiunt,maxime dolendum fuit. Quod autem uniuersa ciuitas declararit, quam moleste tulerit Leonardi casum, & quã honorifice de tuo patre sentiret, non potest mihi non esse iucundissimum. Lætor enim mirifice,quum quid pie , liberaliter, ac sapienter à Ciuibus nostris factum audio, quippe qui probè intelligam duobus his potissimum regna, atq; imperia continere, præmio scilicet,ac pœna. Quamquam magistratus iste tribunitius quotidianis laboribus uariisq; occupationibus refertissimus oneris potius quam præmii loco uidetur esse censendus, tamen quum in eo summa sit in intercedendo authoritas & dignitas, legesq; omnes & instituta Reip. sub eius tutela & presidio conquiescant,neq; is deferri nisi ornatissimis uiris soleat,non quantum secum afferat molestiarum , sed quo animo sibi a patria deferatur, unicuiq; est considerandum. Neq; uero dubium mihi est quin Sebastianus pater uir omnium & nostræ & superioris ætatis in foro iudiciisq; exercitatissimus, omnes difficultates & molestias,quæ in eo gerendo magistratu cæteros obruere consueuerunt,facillime sit superaturus , Campumq; sit habiturus amplissimum, in quo sua continentia , grauitas, Eloquentia , summa cum admiratione totius ciuitatis possit excurrere. Quamobrem est quod nos familiares ac necessarii plurimum gratulemur,omniaq; isti & patriæ fælicia ,fortunataq; euentura speremus. Quod autem priuatim ad me attinet, obsecro te (mi Philippe) ut quæ ego dolorem ex alterius fratris obitu,lætitiam ex iniuncto alteri munere concœpi animo,

mo,eam patri meis uerbis cumulate explices,tibiq; persuadeas existimaturum me uestra omnia incommoda pariter atq; ornamenta mihi semper fore communia. Quod tibi tum præcipue compertissimum fuerit , quum te aliquando ad hoc literarum Gymnasium contuleris,in omnibus enim iis,quæ ad rationem studiorum tuorum pertinebunt, siue ea sint, quæ ad humanitatem informant, siue quæ ad scientiam iuris pontificii spectant, meam tibi operam,atq; industriam nunquam scito de futuram Vale.

Hier.Niger Alexandro Falconio S. P. D.

MIrifice delectatus sum tuis literis , cum ꝙ eæ sic ornate copioseq; scriptæ sunt,ut non ex scribarum officina,sed ex Rethorum schola prodiisse uideantur , tum ꝙ perspicuum tui erga me amoris testimonium prefeserunt tum quid Orationem in Francisci Cornelii Cardinalis funere nuper à me habitam Amplissimis uerbis laudas, atq; in cælum effers, quam ego orationem libenter non modo in nonum annum(ut poeta ille inquit) sed etiam perpetuo suprepsissem , qui probe intelligam,si ea cum ueterum scriptorum monumentis conferatur,potius dignam esse,quæ spongiæ succumbat,quam quæ per eruditorum uirorum manus euagetur,nisi Corneliorum meorum uoluntati &studio, quorum imprimis res agebatur, mihi satisfaciendum putassem,Quum enim a multis ea expeteretur oratio ꝙ eo die, quo habita est , ob ingentem populi concursum,& prætereuntis pompæ strepitum à paucis fuerit ex audita existimarunt uiri isti nobiles multorum desiderio percommode satisfactum iri,si ea typis excuderetur , atq; inuulgaretur. Qua de re admonendum te duxi, ne fortasse me nunc primũ ambitione captum existimes , quod quum id genus multa à me antea scripta nunquam ediderim, modo alienior factus ab hisce studiis,uidear ex re leuissima popularem auram captare uoluisse . Reliquum est, ut pro egregia tua in me uoluntate, quam ex tuis literis,atq; ex tua mihi iampridem cognita probitate perspicio , immortaleis tibi habeã gratias , Omnemq; meam operam,&auctoritatem,quantulacunq; ea est, omnibus

tuis commodis & ornamentis paratum expositamq; pollicear. Vale.

Iacobo Sadoleto Carpentora. H. N.

NOlim existimes mihi parum gratum fuisse beneficium tuum, quod tamdiu siluerim, fuit enim eiusmodi, ut si magna mea in te merita extarent abunde mihi satisfactum pu tarem. Quum uero nihil in necessitudine naturam contulerim, præter studium &beniuolentiam, facile intelligo parem me tuis officiis animum afferre non posse. adnitar tamen ea conser uando, eisq; bene utendo, quæ donasti, efficere, ut tuorum erga me meritorum te nunquam pœniteat. Quod si qua uis aut casus beneficium huiusmodi auferet, memoriam tamen illius unà cum eo interire non patiar. Mandatum tuum de præceptore, curo, quod possum, diligenter Lazarumq; nostrum & Lampridium appellaui huiusce curam cogitationisq; participes, Quis enim non huic rectissimo studio tuo libenter adsit ? quum uideat nullum te locum prætermittere istius populi iuuandi, atq; ornandi, adeoq; incensum esse desiderio propagandi bonas artes ut eas etiam in animis barbarorum hominum inseri cupias. Sed doctorum, quos requiris, maior hic est penu ria quam fortasse opinaris duo enim sunt hic hominem genera in optimarum literarum studiis uersantium, alterum eorum, qui eiusmodi literas profitentur, aut idonei sunt ad profitendum, hiq; existimationem doctrinæ diuturnis laboribus conse quuti, eum iam obtinent locum, ut non nisi magnis proposi tis præmiis aliò proficiscerentur, Alterum genus est eorum, qui ut ab his doctoribus erudiantur, rectumq; iter ad nobilissimarum artium laudem adipiscendam insistant, in hasce, oras uenerunt. Horum autem pleriq; non multum processerunt, nec dum satis apti uidentur ad ea semina in animis istius iu uentutis iacienda, quæ nondum habent in se ipsis, qui uero iam ad frugem aliquam peruenerunt, eximiamq; sui spem con citarunt qui sanè sunt paucissimi, hi relinquere italiam; reformidant preciumq; constitutum recusant. neq; enim modicum est, quod deposcis, ita enim scribis, si Græcas nouerit probè li

teras, Latinas autem mediocriter, at ego sic statuo qui, te Iudice, mediocritatem attigerint, eos esse uiros doctissimos. Verum hæc ipsa mediocritas non ex acerrimo isto tuo iudicio, sed ex communi aliorum sententia, atq; ex ipsa rei necessitate metienda est, Proinde dabimus operam ut uirum in ueniamus, qui preclari istius amoris & pietatis tuæ in Carpentoractenses ciues sustineat partes quid efficere possimus nondũ compertum habeo, certe nec opera, nec studio deerimus. Vale. Nolo tibi in agendis gratiis pluribus obstrepere noui enim quam hæc non libenter legas.

Berardinus Maphœus H.N.S.

SCito me mirifico tuarum litterarum desiderio teneri cum postea quam me huc Verona receperim, nullæ tuarum mihi redditæ fuerint. quamobrem mihi persuadere non possum quid nam tam repente accidere potuerit, quod institutum scribendi munus prætermiseris, duriusque aliquid de tua in me beneuolentia cogerer dubitare, nisi perspectam tuam in me uoluntatem fidemque iam planè cognitam haberem: Illud uerò me uel maxima liberat molestia quod ex rumore quodam, uel ex tuis potius ad domesticos missis literis, te hic ad Kl. Aprileis expectamus, an ideo mi Niger nihil de eo mihi significasti ? ut me, cæterosque tibi necessitudine coniunctos maiore afficeres, uoluptate, quam de improuiso aduentu tuo cæpissemus. Sed quid hæc ad te hoc præsertim tempore, in quo iam iam sit ad arma concurrendum, hæc etenim omnium sermone percrebuit Thurcam esse in armis; classemque. C C. triremium egregie ornatam: armatamque habere, qua sit in Italiam transmissurus, indiesque maiores sibi copias comparare quib. in Pannoniam impetum faciat: Christianorumque principum consilia frigere, nec tot tantisq; calamitatibus esse edoctos, quibus superioribus annis immanissimis Turcæ eos afflixerunt. uerum adeo late malum hoc serpere patientur, ut cum illi medicinam adhibere uoluerint minime queant. sed de his aliàs pluribus, nunc scito nil à me magis quàm te aut tuas expectari literas. Vale & multam Thebaldeo, Colotio,

Curtio, ac Rutilio nostro meis uerbis dic salutem.

Hierónymus Niger Marco Antonio Michaeli. S.D.

QVod nuper a me efflagitasti, ut de Græca superstitione, quæ proximis diebus in hanc urbem sedem pietatis & Religionis iuecta fuerat, ad te scriberē, uereor ne & mihi explicatu difficile sit, & tibi omnino incredibile uideatur, tanta .n. est indignitas rei tam nouum atq; inusitatum genus temeritatis & insaniæ, ut & præter grauitatem Romani nominis & supra hominum fidem sit, quod hæc ciuitas iam per tot secula sanctissimam Religionem edocta, Nunc turpissimæ superstitioni manum dederit Greculiq; unius inanissimam fabellam diu pro oraculo habuerit. Iuuenalem Poetam Satyricum legisse te arbitror conquerentem tantum authoritatis & fidei suis temporibus in hac ipsa urbe græcis hominibus tribui ut nullum dictum factum ue laudaretur, quod non grece dictum factumq; esset, sed illis temporibus hæc natio quasi minus dictaret à ueteribus illis grecie, qui Sapientissimi & habiti sunt & fuerunt, facile potuit imperitam plebem in sui admirationem conuertere. Nam & si amisisset imperii dignitatē retinebat tamen ad huc sapientiæ laudem quam nostri plane se assequi non uidebantur posse, nisi Athenas commigrarent, atq; ex grecorum fontibus sapientiam haurirent. Recentes uero græcos quis non uideat amisis omnibus ornamentis, aut seruire barbaris nationibus, aut inter nos uiuere tamquam fugitiuos. Qua certe calamitate digni sunt propter eorum perfidiam & impietatem. Hinc Nicolaus Quintus Pontifex Maximus uir auorum memoria doctrina & pietate insignis nunciata Byzantii expugnatione & clade dixisse fertur, haud iniuria Deum Opti. Max. Græcos in seruitutem gentis impiissimæ redegisse, Quod illi semper ueræ pietatis hoc est, Christianæ Religionis inimicisimi fuissent, quasi diuino iuditio habiti sint indigni Christiano nomine qui peruerse Christum colerent, puritatemq; religionis superstitionibus inquinarent, nos uero Imprimis thostili odio persequuntur, ut nolint eadem, quæ nos, de Religione sentire conuictiq; toties sanctissimorum pa-

trum sententiis & publica authoritate ad saniorem mentem reuocati redderent ad ineptias suas, maluntq; soli errare quã nobiscum bene sentire. Dicet fortasse quispiam iniquum esse me ex unius Greculi superstitione toti greciæ notã impietatis inurere, sed & poetarum eminentissimus Maro ex Sinonis dolo Danaum insidias autq, ex unius crimine aliorum omnium fraudes docet esse perdiscendas, sunt enim Greci ferè omnes ut habita corporis, ita & animo ac uoluntate inter se persimiles, & quemadmodum cætere nationes peculiare quiddam habent, ut Itali. prudentiam, Hispani uersutiam Galli superbiam, Germani impetum & furorem, sic Græci mendacia, & dolos fingere adeo sunt eruditi ut eos natura ad fallendos cæteros mortales finxisse uideatur, sed uereor ne nimis multa permiserim antequam de te scribere aggressus sim, meus in te amor, & summa, quæ inter nos est familiaritas fecerunt, ut libere huiusmodi uterer euagatione, quam scio tibi, qui omnia mea libenter legis non iniucundam futuram. Nunc ad rẽ ut ueniam, credo te iampridem uel ex meis literis accepisse hoc anno ad cæteros urbis Romæ labores & erumnas pestilentem morbum accessisse, qui tamen hactenus non admodum grauis uulgatusq; fuit, ut pote non ex aeris putredine ortus, sed aduentitius & contagione inuectus. Cæterum ut ægro homini noua superuenientes ægritudo, tametsi leuis non potest non esse molestissima, sis miseræ huic & satis superq; afflictæ Ciuitati genus hoc incommodi accedens grauissimum uidebatur. accedebat rei quædam quasi nouitas, quod ab initio Pontificatus Iulii. ij. usq; in præsens hoc morbo laboratum non fuerat, augebãt terrorẽ multa Imprimis fuga primorũ, qui non tam mætu pestilentis morbi, q̃ tedio, urbis carentis principe in suburbia secedebant, præterea nihil erat spes in magistratibus, quorum solertia & cura uis morbi repelleretur. Pauci enim erant, qui de re pub. consultarent, pauciores uero qui maiorum consiliis obtemperarent, usq; adeo perturbata omnia & confusa uidebantur hunc statum urbis calamitosum ne miserum Imp. (ut par erat) ægre ferebant Romani, cum ob discrimen uitæ, in quo pariter cum inquilinis uersabantur, Tum uero ob iacturam fortunarũ suarum, quæ omnes ex aduenarum conuentu & frequenti pena

dent,sed dum hi hac sollicitudine laborarent. Ecce Græculus nescio quis homo sordidatus prolissa barba, qua ea natio plurimum delectatur,capillo impexo toto demum corporis habitu horrido & tetro,quasi nuper ab inferis emersisset, qui mores Ciuitatis adit, polliceturq; iis si triginta nummos aureos in singulum mensem sibi posterisq; suis constituant parentq; necessaria operi peragendo,se & q̃primum urbem purgaturũ præsenti lue & perfecturum ut nullo unq̃ tempore ea calamitas metuenda sit ,non defecerunt Græci homines,qui testarentur eadem hunc miracula in Græcia & Syria edidisse . Inter cæteros Constantinus Paleologus,& Vetusto iure Imperii & fama bonitatis plurimum præstans,qua spe,quibusq; testimoniis adducti Romani Ciues rem Senatui detulerunt, ex Senatusconsulto ampliora etiam q̃ Græcus homo peteret promittuntur , quæ omnia cum transegisset Græcus opportuna operi mandat exquiri.Imp.Taurum nigrum deposcit, ut Virgilianam Sibillã Immitaretur,dicentem,duæ nigras pecudes ea prima piacula sunto,subinde fontem nundum antea deprehensum inueniri uult, in suburbio,quibus omnibus celerrime ad inuentis Græculus nocte intempesta ad Radices Marii mõtis profectus, quo in loco & Taurum paratum & fontem inuenerat funem texere aggressus est , texendoq; nunc alta uoce nunc submissa nescio quid Græce immurmurabat sonitum uocis multis, qui spectatum conuenerant audientibus,posthæc coniecta in ceruicẽ tauri fune , ferunt illum repente mansuefactum ter circa fontem perduxisse,deinde prostratum nulla ui ter dextro pede calcasse,atq; illi demum minime reluctanti cornua abseruisse,quibus peractis Taurum per septem urbis portas , & per septem celebres uias a pastoribus deduci iussit,postea dimitti ut in campos & ad pascua nota regrederetur . Aiunt qui interfuerunt qua ille hora attollens in cælum oculos,nescio quid in susurrabat uisa fuisse decidentia sydera& innumerabiles canũ luporum atq; id genus animalium imagines passim uolitare, sed (ut ego quidem existimo)credulitas hominum & pauor per intempestæ noctis umbram huiusmodi simulacra referebat,his in hunc modum confectis magus in urbem reuersus egit cum Romanis magistratibus,ut publico edicto caueretur,ne quis in tri

duum quadrupedem bestiam mactaret, in quo & Græca uersu tia deprehendi facile potest, quod de industria eos potisſimū dies delegiſſet, quibus ex religione carnibus abſtinemus, Vulgo autem uocantur a nobis anni tempora, quibus quater in anno uecti cornibus est irreligioſum & impium, Græcus in hos dies rem distulerat, ut coactus religione populus obedientior ſibi eſſet maioremq; ex eo authoritatem & fidem ſuæ ipſe fabulæ conciliaret, ſed dum in hac expectatione eſſet Romana Ciuitas Antiſtites ſummi ordinis percepta re, negotium dederunt Iacobatio Pontifici Lucerino, ut uideret ne quid chriſtiana religio detrimentum pateretur. Is cum animaduertiſſet ex huiuſmodi ſuperſtitione animos imperitæ multitudinis facile a Religione auerti poſſe, & plane intelligeret Græcum illud commentum non carere dolis. Imo uero nec machinam ad queſtum ſtatim hominem Græcum, ſiue potius circulatorem ad ſe uocat, interrogatq; quanam arte quibus uerbis in huiuſmodi opere patrando uteretur, ad hæc ille reſpondit, nolle ſe arcana & miſteria ſuæ artis cuiq̃ propallare, ſatis eſſe Romanæ Ciuitati, ſi ipſe peſtilentiam extinguat, ex iis apertiſſime cognitum eſt in ea re nihil aliud contineri, q̃ aut ſuperſtitionem, aut dolum, aut utrunq; igitur ex templo magus in carcerem trahitur paulo poſt queſtione habita puniendus, niſi Romanorum Ciuium factus concuſſus hominem iuditio captiuitatis liberaſſet, indignum enim uiſum eſt, his, ut quem ipſi antea in fidem acceperant desererent in eo uitæ diſcrimine, quod ille ꝓ ſalute publica ſubiiſſet, quamobrem Græcus ægre a propinqua flamma & pene incendio ereptus tumultuanti populo donatus eſt, uerum ne omnino impunis dimitteretur peſſimo exemplo, mulctatus fuit exilio ſempiterno, liberq; eius in quo delineamenta illa ſua conſcripta erant publice combuſtus, ut eadē fere contumelia notaretur, qua notatus olim fuit ab Athenienſibus Protagoras, qui opinionem de diis immortalibus in dubium reuocauerat. Aiunt hunc urbe pulſum præneſte ſe contuliſſe. Ibiq; fabulam ſuam proſequi, quod ea Ciuitas peſtilentia uehementer laborat, quem exitum ea res habebit ad te perſcribam. q̄q̃ non dubito quin eundem ubiq; exitum ſit habitura. Habes mi Marce ſeriem Græcæ deceptionis a me ſi non orna-

te,at certe fideliter expositam,quam dum mecum ipse reuoluo animo non tam Græcum hominem q̃ Romanos ipsos grauiter accusandos censeo,quorum credulitate pene perfectū est, ut uel ab impiis nationibus ad quas forte huius rei fama peruenerit, ludibrio habeamur. Græcus enim nihil est aggressus alienum a natura & more sui generis, nostri uero ualde aberrarunt a maiorum institutis,non eorum modo qui Christianā pietatem professi sunt, sed eorum etiam qui anno Christum fuerunt.Etenim quicumq; Romanorum gesta cōscripsere tam Latini quam Greci Romanos illos ueteres imprimis laudant a religionem quod eum cultum deorum immortalium in quo nati educatiq̃ fuissent, ita integra immolataq; seruarint,ut nullam umquam peregrinam admiserint superstitionem. habet in presentia Liuii uerba subiicere, qui libro quarto decadis primæ, cum de pestilentia sermo esset,qua ob siccitatem & aquarum defectum urbs Roma plurimum laborauerat. a Cornelio Cos.T.Quintio Reno Coss.hæc subdit. Nec corpora modo affecta tabo,sed animos quoq; multiplex Religio& pleraq; externa inuascit.Nouos ritus sacrificandi uaticinando inferentibus in domos quibus questui sunt,capti superstitione animi, donec publicus iam pudor ad primores ciuitatis peruenit cernentes in omnibus uicis sacellisq; peregrina atq; insolita piacula pacis deum exposcendæ, datum inde negotium ædilibus ut animaduerterent nequi nisi Romani dii heu quo alio more quam patrio colerent. Hæc ille quod si huiusmodi instituta maiorum tamquam nimis uetera & antiquata parum uidebantur ad continendos in pietate Romanorum animos ualere saltem debuerunt. Sacrosancta Religionis decreta quibus obtemperare hi a pueritia edocti sunt,nec obliuisci fas erat Christianos se esse,eamq; urbem Patriam habere, in qua passim tot ossa,tot sepulchra eorum cernerentur, qui pro pietate contra superstitionem pugnantes immortalitatem diuinitatemq; gloriosa morte sunt assequuti. Itaq; opportune admodum post errorem hunc imperitæ multitudinis à collegio Pontificium decrete fuere supplicationes in quintumdecimum usq; diem ut conuersus ad Religionem Populus Romanus a Deo Opt.Max. non a greca superstitione pacem exposcerat, quamquam in

iis quoq; piaculis ut est, in extrema omnia præceps uulgus, nec seruatus modus, nec rei leuitatis habita ratio est. Nam cũ morbi huius uis esset longe minor quam fama& pauor, ad postrema tamen remedia uentum fuit, Pueris passim atq; uiris nuda sibi, terga flagellis percutientibus, mulierum turba ingenti cum clamore ululatuq; insequentium diuum effigies, quæ ex omnibus sacrariis de promptæ lugubri pompa circumferebantur per urbẽ datus est etiam questui locus in tanto mærore ut per eos dies dona certatim imposita nec altaria, nec templa ipsa caperent miracula promulgata q̃ plurima alios pestilẽtia prope confectos illico reuixisse alios quod religionem cõtẽpsissent correptos contagio subito expirasse Iudeum hominem ferunt cum ab Imagine Virginis Deiparæ auertissent oculos cæcum repente factum fuisse, alium sectæ eiusdem cum auertisset faciem inflexa ceruice stetisse. Quamobrem Iudæa fœmina territa miraculo Christianæ se religioni addixit, quam postea uidi ipse coronatam more Romanorum sponsarum inter supplicantium turbam, quasi in triumphum duci peractis supplicationibus nuntiatus est, aduentus Abriani sexti, Pont. Max. quẽ dum Romana Ciuitas etiã peregrini omnes tam diu expectãt pene tedio &mærore confecti sunt, Nunc uero si non alium ex hiis precibus & uotis fructum, at saltem hunc minime contemnendum percipiemus quid qui antea sine capite, eramus & ut Græci aiunt Acephalis iam iam habebimus caput& religionis Principem religiosissimum, qui ibi famæ credendum, est sua probitate prudentia authoritatem urbem Romam atq; adeo Cristianam Remp. afflictam eriget perditamq; recreabit. Vale.

Hier. Niger Iacobo Sadoleto Car. S.

Eram in suburbano meo Patauino, cum redditæ mihi fuerunt, à te literæ officii atq; amoris in me tui plenissimæ habeo tibi immortaleis gratias, quod incolumen me ad meos reuertisse gratulere, nec incompertum mihi est quam sis in omni uitæ ratione præsertim in amicitia constans ac semper idem. Quod autem in extremo literarum tuarum petis à me ut offensionem illam aduersus hominum petulãtissimum a me

conceptam tibi concedam ac donem, fateor id quidem mihi præter orationẽ accidisse, ut te auctore, quem imprimis sequi debeo, causam tam iustam tam necessariam desererem, quid enim tam iustum atq; adeo è Rep. uidebatur esse quam inprobitatem maledici hominis infringere? Quid tam necessarium quam me ipsum defendere, nam hæc quidem causa non iam Bembi est, sed mea cum me egregius ille uir testem ueritatis delatorem appellauerit, sed tantum abest ut consilium reprehendam tuum, ut etiam fatear me non nisi abs te monitum potuisse ab ea indignatione uestra residere quam iure optimo mihi uidebar concepisse. Quamquam enim genus istud hominum maledicum & petulans non ita parce ne molliter tractandum uidetur ne certi homines pari spe impunitatis adducti nullum obtrectandi finem faciant, tamen sapientius agere uidentur ii, qui censuram hanc, aliorum iudicio atq; imprimis posteritati relinquunt quod in mea ipse causa libentius fecissem quam in aliena. Nosti cuius uiri defensionem suscepisse doctissimi scilicet atq; amantissimi aduersus hominem maledicentiæ crimine in famen, cuius ego arrogantiam reprimere constitueram, etiam edito uolumine, nisi me de ipso prope scribendi cursu tua auctoritas deflexisset. Quamobrem utar consilio tuo, modo me nihil à principio inique aut incōstanter fecisse persuasum habeas idq, potissimum beneficii loco, peto a te maiorem in modum ut si æquo animo ferre statui, quod fortasse ferendi non erat nolis me probare quod probandum non est, cætera omnia tuæ uolũtati arbitrioq; permitto. Vale.

Hier. Niger Blosio Palladio Pont. Max. ab Ep. S.

CVm statuisset Matthæus Pizamanus uenire istuc in contubernium Farnesii Car. iussu Pontificis Max. exceptus, petiit à me pro nostra necessitudine, ut ad cognitionem & gratiam amicorum meorum qui Romæ sunt dignitate ac uirtute florentes aliquem sibi aditum meis literis patefacerem. Quo in albo & cōspicuo quidem loco tu mihi occurristi, dignus qui &, hunc adolescentem summo loco natum politioribusq; lite-

ris eruditum cognoſceres,& ab eo colereris,Hunc itaq; iuuenẽ ſumma ſpe eximiaq; uirtute totum tibi trado (ut aiunt) de manu,ac de meliore nota commendo, quod feciſſem ipſe libentius coram,ſi per domeſticas occupationes mihi patria excedere licuiſſet. Dedi Pizamano munuſculum ad te, Auellanas Vincentinas,quas in Bloſiano iſto tuo inſeri curabis, hæ ſi per uenerint ad frugem,non ingratæ erunt,roſoribus Sauoinis, Serendi tempus modumq; minime opus eſt, ut te doceam, qui in agricolatione,cultuq; hortorum iam cum Catone ipſo certare poſſes. Vale. patauii pridie Kl. nouembris.

Hier. Niger Iacobo Sadoleto Car. S.

COgitabam Romam, cum nunciatum nobis eſt Pontificẽ Max.ineunte Ianuario iſtinc migraturum,quod & ſi non ſatis compertum eſſet propter uaria principum uirorum conſilia,dubioſq; rerum euentus, tamen ſuſpenſum me atq; ancipitem in hunc uſq; diem tenuit is rumor,quem auxit in dies perſpectus mihi mos Pontificis Max. emigrandi & uagandi, ſanè uiſum eſt mihi ſatius eſſe continere me domi, præſertim hoc anni tempore peregrinationibus haud ſatis opportuno, quam uenire iſtuc, unde paulopoſt ſit recedendum. Quamquam permoleſtum mihi eſt carere tua iucundisſima conſuetudine, quam ſemper omnibus opibus atq; honoribus anteponendam duxi, tamen ſolabor, ipſe me ac ſuſtentabo hac ſpe, quod congreſſus noſtri hac intermisſione,poſtea futuri ſint iucundiores dedi has literas ad te Mattheo Pizamano adoleſcenti ſummo loco nato, atq; optimarum literarum ſtudiis erudito, qui factus eſt contubernalis ac ſtudiorum ſocius Farneſii Car. ita iubente Pontifice Max. is tanto tui uidendi & colendi deſiderio eſt in cenſus, ut hoc nomine in primis fateatur ſe relicta patria in urbe iſta ſibi domicilium ſtatuiſſe.Non dubito, quaes in omneis bonos & literarum ſtudiis deditos humanitate, quin hunc ipſum quibuſcunq; poteris officiis completare.Multos tibi commendaui, quorum merita, tua beneficentia ſuperaſti. Hunc ſi præcipue amaueris,ornaueriſq; id ego, non tam beneuolentiæ in me tuæ quam huiuſce adoleſentis uirtutibus,

tributum putabo, erit tamen quod tibi gratias habeam, atq; omnia tua in Mattheum officia innumerabilibus officiis, quæ in me contulisti, libenter accumulabo. Vale.

Hier. Niger Hieronimo Aleandro Archiepisc. Brundusii .S.

ETsi non dubitabam, quin pro tua singulari humanitate Mattheum Pizamanum genere ac uirtute nobilissimum omni officio esses persecuturus uolui tamen, ut intelligeres te apud hominem non solum optimum sed etiam mihi amicissimum tua studia, atq; officia positurum. Is cum animaduerteret se nondum per ætatem ad capessendã Remp. satis idoneum esse, Romam proficisci statuit, non augendæ rei familiaris cupiditate, sed uisendæ urbis, cognoscendiq; uiros dignitate ac uirtute amplissimos desiderio incensus. Venit autem in contubernium Farnesii Cardinalis iussu Pontificis Max. qui dominicũ ipsius parentẽ dũ uiueret unice dilexit. Hũc itaq; iuuenem optimis moribus eximia eruditione præditum tibi ita commendo, ut maiore studio commendare possem neminem. Sed de Pizamano satis confido enim fore, ut is biduo tibi familiarissimus sit futurus. Ego uero statueram proximam hyemem traducere apud uos in summo otio, ab omni munere & seruitio penitus liber. Quis enim non tuo exemplo adiscat quã periculosum ac miserum sit, aliene fidei se se committere? Aut quod uspiam est mare tam infidum quam aula ista in qua cum quis post infinitos labores portum se tenere arbitratur, subito reflantibus uentis in altum reiicitur, Sed cum uariis rumoribus allatum nobis esset Pont. Max. urbe etiam discessurum diu suspensos nos tenuit hæc expectatio, nec deliberandi locus fuit, donec ad anni tempus incommodum peregrinationibus uentum est, quamobrem decreui ad uentum huc uestrum, si modo id stato tempore fiet, expectare, sin uana spe cõcilii (ꝙ absit) eludemur ueniã ad uos nõ ad sacerdotia aucupãda, quorum me nulla unquam torsit ambitio, sed ad uisendos amicos, quos mihi superiorum temporum fortuna reliquos fecit, is est enim iucundissimus & certe unicus uitæ fructus, ha-

bere quicum libere loqui & consilia cõmunicare posſis quemadmodum ſolebamus ipſi facere, inter nos cum ſæpe alias tum ſuperiore anno, in tuis illis fortunæ iactationibus & caſibus quorum ego omnium locupletisſimus teſtis& asſiduus tibi comes fui, atq; huiuſmodi uitæ fructus diuino beneficio hominibus datus hoc ſuauior eſt, iſta in urbe quo rarior,propter hominum perfidiam, & inuidiam, quæ peſtes humani generis nunc uehementius quã unq̃ antea Romæ graſſantur, ob rerũ anguſtiam,& aulicorum ſummam deſperationem qui non niſi per alterius iacturam & calamitatem ad opes & honores aſpirare queunt.Sed aliud nos agamus contentiq; tenui fortuna,& noſtra gaudentes innocentia,uana hominum ſtudia,inaneſq; cogitationes, atq; in primis uiuamus libere hoc eſt ſine operimento, ſine fuco ut tales ſimus, quales uideri, uolumus. quod tu maxime omnium & feciſti ſemper & facis.Vale.

Hier.Niger,Iacobo Sadoleto Card. S.

QVàm graui acerboq; uulnere ex ſubita atq; improuiſa Contareni Cardinalis morte perculſus ac penè confectus fuerim,tu te potes optime Sadolete cognoſcere, qui quanta illum obſeruantia colerem,& quo ille me amore uiciſsim proſequeretur,compertũ habes,ingratus equidem ſim, ſi priuatas mei luctus rationes anteponam publicis,quum ueſter ordo,& Chriſtiana omnis reſp. tantum in eo caſu iacturæ fecerit,ut parum addi poſſe uideatur. Sed tamen neſcio quo pacto fit,ut dum reuoluo animo calamitates meas, quibus iãdiu ſum afflictus,poſtremum hoc uulnus acerbius fiat in dies, magiſq́; recrudeſcat,nec ſuccenſendum mihi eſſe uideatur, ſi ſecundo loco mea etiam priuata cauſa,doleo,atq; angor, præſertim tecum,qui ſæpenumero me & conſilio,& auctoritate iuuiſti. Agitur iam triceſimus annus, ex quo primum è ſcholis optimarum artium ad dura principum uirorum ſeruitia diuerti,idq́; non ullo meo propoſito,aut conſilio, ſed temporum necesſitate compulſus feci.Ardebat enim tunc Bello Italia, & prouincia imprimis noſtra,quæ in eum erat adducta diſcrimẽ, ut non quo pacto honeſte uiueremus, ſed quo modo ſpiritum

duceremus à nobis esset cogitandum. Verum apud eos princi-
pes, in quorum familiaritatem forte incideram, iniqua semper
fortuna laboraui, dum eorum alii odio haberent bonas artes,
alii facultatem bene de me merendi non haberent. Nonnulli
uero quum primum de me ornando cogitarent, repente de
medio sublati sunt, itaq; per tesus errorum meorum statuerā
me mihi reddere, ac in meo tandem nidulo conquiescere, qđ
consilium memini me tecum pauloante q̃ ex urbe istuc pri-
mum discederes communicasse, quod quum tibi probari ani-
maduertisse, me in patriam receperam, ratus uix unquam fie-
ri posse, ut ex hoc portu, fidaq; statione, rursum me procellis
obiicerem. Sed nescio quo pacto Gaspare Contareno in Col-
legium Cardinalium diuinitus (ut scis) cooptato, adductus ho
minis mei amantissimi, omniq; genere uirtutis ornatissimi
summa humanitate ac beneuolentia, erga me, illum proficiscē
tem ad urbem sum prosequutus, apud quem septennio fui, om
nium consiliorum suorum conscius, omniumq; ferè laborum
particeps, quos ille optimus & sapientissimus uir, pro sanctæ
Ecclesiæ dignitate sustinuit. Postremo quum ex Germanica le
gatione, qua ille pie, fideliter, ac sapienter functus fuerat. In I-
taliam rediissemus. At is Lucæ cum Pontefice Max. colloqo
habito, palàm meam fidem ac diligentiam collaudasset, Haud
multo post in Bononiensem legationem missus, repentina op-
pressus morte, me omni spe deiectum atq; orbatum reliquit.
Neq; uero tam molestum mihi est, post tot labores meos eo
fructu atq; iis præmiis carere, quæ multi sine uirtute, ac sine ul
lis laboribus sunt assequuti, quàm iucundum uideretur cæte-
ros homines intelligere meam operam, atq; industriam sum-
mis uiris non ingratam fuisse. Nam si in supino otio turpis &
uecors ætatem omnem consumpsissem, iure quidem posthabi-
tus, ac neglectus uiderer, modo quum nunquàm ferè toto ui
tæ meæ curriculo ab honestis laboribus conquieuerim, ac
Reipub. fidelem semper nauarim operam, sanè indecorum
ac turpe mihi existimo, inerteis homines (ne quid grauius
dicam) præripere fructum laborum meorum, me uero præteri-
tum iacere, quasi manifesti cuiuspiam flagitii pœnas luam.
sed hæc ut homo perturbationibus obnoxius ad te scribo,

nam si reuocare animum ad se se, eumq; sistere uolumus in suo ipsius regno, hoc est in arce rationis tamquam principem ac moderatorem cunctarum actionum cogitationumq; nostrarũ, Quis non uideat satis uberem ac gloriosum fructum esse laborum nostrorum, iuuare Remp. & prodesse alteri, quum possumus. Ipsa enim uirtus quum sit optimum bonorum omnium, nullum potest habere premium seipsa maius, testificatio autem uirtutis q̃ in honoribus consistit, neq; uehementer à nobis concupiscenda est, neq; peruicaciter aspernanda, quum p̃sertim uidere liceat præmia huiusmodi sæpenumero sine delectu tribui solere, atq; in ea nos tempora incidisse, quibus ob summam rerum omnium perturbationem, imminenteisq; calamitates ac ruinas, longe beatiores mea quidem sententia uideantur esse ii, qui priuati, aliquo iu gurgustio delitescunt, quam ii, qui ad gubernacula sedent quassatæ ac periclitantis Reip. Valde enim uereor, ne iam subsidentibus fundamentis, dignitatis uestræ, hoc est pietate & innocentia deficientibus. uestra omnis dignitas & auctoritas uno momento concidant Quæ sanè ruina longe grauior atq; intolerabilior futura est ipsis gubernatoribus Reip. quam tenuioribus. Vides me iam præripuisse tibi locum mei consolandi, ac monendi, dum ad communes locos philosophiæ confugio, locum autem iuuandi me, atq; ornandi integrum tibi relinquo, qua in re, si forte facultas, aut occasio deerit, uoluntatem tibi nunquam defutura certò scio. Vale.

Ia. Card. Sadoletus Hier. Nigro S.

Literæ tuæ, quas iam antequam Carpentoracte discederem, accepi eo tempore mihi redditæ fuerunt, quo cum ex remotioribus galliæ regionibus meam me ad Carpentoracten. ecclesiam recepissem. Populos à Deo fidei meæ creditos pestilentia multisq; præterea incommodis & difficultatibus uexatos, oppressosq; offenderam ut meas omnis curas & cogitationes pro mea paterna erga ipsos charitate ad eorum tum leuandas calamitates, tum consolandos animos cogerer conferre. Post à Pont. Max. in italiam euocatus, quod iter maximo ua-

letudinis meæ incōmodo& rei familiaris detrimento feci,non prius quietem & otium nactus sum, quam in hisce locis pontificis ipsius permissu constiti,eo factum est uti serius quam aut consuetudo mea ferat,aut meus in te amor postulet tuis literis rescribam. Quibus quod Gasparis Contareni mortem defles,facile ex dolore meo tuum metior.Nam mihi quidem nihil eius interitu in omni uita accidit luctuosius, atque acerbius.Is enim occidit uir,quo nec meliorem, nec integriorem, neque omni laude & uirtute præstantiorem nec nostra nec superior tulerat ætas. Quanquàm is quidem qui tam pie, tam caste,tam innocenter,tam sancte uixerit,non occidit,sed morte immortalitatem adeptus est,eoq; præclarius cum illo actum est,ꝙ eo tempore ex hac uita migrauit,quo optimo & prudentissimo cuiq; propter maximam Reip.perturbationem,imminentesq; illi grauissimas calamitates ac ruinas omni spe opitulandi precisa,mors miserrimæ uitæ propagatione longe potior,optabiliorq; ducenda est.Nobiscum uero, qui eum præcipue dileximus actum certe est aliquanto durius,nam & tu patronum amantissimum amisisti, qui ingenium, fidem, uirtutem tuam spectatam sibi & cognitam maxime probabat, & ego eo sum amico orbatus, quem omni mecum amoris& necessitudinis uinculo coniunctissimum, eximiisq; ac præstantissimis uirtutibus præditum,utrum uehementius admirarer an diligerem non facile dixerim, quam quidem ego iacturam eo grauiorem duxi,quo multis mihi antea ereptis hominibus amicissimis iisdemq; Clarissimis,pauciores mihi,qui me uere & ex animo diligant,sociiq; mecum eiusdem sint in Rep. sensus, ac uoluntatis sunt relicti, sed nostrum quidem dolorem illius sic enim uere dicendum est,mortis debet opportunitas,idq; quod à deo iis qui cum fide & pietate uixerint, constitutum & propositum est præmium consolari.Quod uero ad incommodum tuum mi Niger attinet,damnúmq́, quod illius obitu fecisti,doleo te præter superiores, quas commemoras,fortunæ in te iniurias,spe ea proxime orbatum,quæ tibi in illius auctoritate summaq; erga te beneuolentia, reliqua erat, diutius iniquiore fortuna utiquàm excellenti uirtute tua,probitate,industria dignum erat. Atq; utinam quantum tibi in

Con-

Contareni auctoritate ſpei ſitum fuit,tantundem in mea erga te beneuolentia poſſes reponere.Illud quidem perſuaſum habeas uelim,quibuſcumq; rebus acciderit,opera, ſuffragatione, auctoritate,quantacumq; in me eſt,tibiq; opus ſit,me tibi nullo loco defuturum.Vale.

Hier. Niger Iacobo Car.Sadoleto.

SAnè moleſte tuli præreptam mihi fuiſſe facultatem te uidēdi,priuſquam Italia excederes,exiſtimabam enim Pontificem Max.quas ob cauſas te ex tam longinquis regionibus, tanto tuo cum rei familiaris tum ualitudinis detrimēto euocarat ad ſeſe,ob easdem te retenturum, præſertim in tantis Reip.fluctibus,quos etſi compeſcere ſola Dei clementia poteſt,proborū tamen & ſapientum uirorum communicata conſilia, non uſq; quaq; arbitror eſſe negligenda.Sed quando magis e republica tibi uiſum fuit recedere,(non enim puto te priuati tui commodi ullam in ea re habuiſſe rationem) propoſitum tuum improbare non audeo.Quin omnia te & recte cogitaſſe & ſapienter feciſſe iudico.Tantum oro,ut pro tua modeſtia æquo animo feras,quid de profectione iſta tua alii ſentiant,à me paucis explicari. Non ignoras uſu uenire tibi, quod & cæteris ferè hominibus euenire ſolet, ut ex omni mortaliū genere alii tibi amici ſint,alii inuidi,nonnulli medio modo,ſe habentes, ut nec ament,nec inuideant,amicorum ſanè uaria fuerunt de tuo receſſu iudicia, ſed horum pleriq;(quod partim ex eorum ſermonibus,qui ad nos uenerunt,partim ex amicorum literis cognoui) libenter te Romæ apud Pont.Max. uidere uoluiſſent,excuſationem inopiæ & anguſtiæ rei familiaris non recipiunt ; quum & alii ſint eiuſdem ordinis antiſtites, eodem incommodo laborantes , qui tamen à latere Pontificis Max. non diſcedunt,&qualemcumq; poſſunt operam reip. præſtāt addunt etiā te tuis uirtutibus comitatum multo honeſtius,quam alios complures longa ſerie ante ambulonum &poſt ambulonum , ſtipatos conſpici potuiſſe, nec eſſe tempora eiuſmodi,quæ pompam requirant,neq; te ita inſtitutum uel diſciplina uel moribus, ut haſce umbras conſecteris,quum ſolida nitaris gloria. Inuido-

g

rum autem uoces quæ nam esse possunt nisi mordacitatis & calumniarum plenæ, gaudent enim ii se occasione detrectandi ex amicorum tuorum iudiciis inuenisse, simul addunt te parũ illustri gratia excepisse dignitatem, qua auctus es, quum ipsam præ tuo commodo & quiete contemnas, Cæteri uero, qui nec amant nec oderunt in plurimorum sententia, sunt, & facile assentiuntur iis, quæ uiri boni, & amantis tui sentiunt, & loquuntur. Illud potissimum in ore habent, te in summorum antistitum collegium cooptatum fuisse, non ut procul ab urbe, & à Pont. Max. qui te cooptauit, tãdiu abesses, sed ut eius lateri assideres, a quo liberaliter es ornatus. Scripsi hæc ad te incitatus amore, & uetere mea in te obseruantia, non quo hæc aut ignota tibi, aut improuisa putarem, sic enim mihi persuadeo te antequam pedem ex italia mouisses, omnia quæ de te futura essent amicorum & alienorum iudicia prospexisse. Atq; ego in hunc fermè modum eis omnibus quibuscum de hac re mihi sermo habetur dicere soleo. Esse te ea ætate eo rerum usu, ea sapientia præditum, ut quid tibi & Reip. expediat, optimæ intelligas, ea uero probitate, ac pietate, ut Remp. & Christiani nominis dignitatem omnibus semper tuis commodis & honoribus anteponendam censeas, quod ad me attinet solabor ipse me aliqua specula te aliquãdo uidendi opportuniore tempore, quod quando futurum sit nescio, utinam id sit salua Rep. quam tenuissimo filo pendere uides. Interea pergratum mihi feceris, si tuas interdum ad nos dederis literas librarii saltem manu scriptas aut Pauli nepotis quem ualere cupio cum familia omni tua. Vale.

Hier. Niger VVolfango Furt. mairo. S.

PErgrata mihi fuit salutatio, quam mihi nuper tuis uerbis reddidit Mattheus Hieroneus familiaris tuus fuit enim index egregiæ tuæ in me uoluntatis memoriamq; renouauit cõsuetudinis nostræ qua iucunde admodum fruebamur in Ratisponensi conuentu, dum per occupationes illas nostras liceret, quæ & si parum utilitatis attulerunt Christianæ Reip. fortasse etiam publicis & priuatis rebus nostris plus detrimenti &

calamitatis quam studia illa nostra præmereri uidebantur,quæ cunq; tamen nob s euenerunt, & in posterum euenient accipienda sunt hylar animo, tanquam,dona de manu domini, illudq; existiman lum non antea pacem ecclesiæ reddi posse, quàm iusserit ill idem ecclesiæ fundator & rector,quanquam in ea re studia nostra deesse non debent, tametsi tota nocte laborantes nihil cœpimus,tunc implebitur rete magnis piscibus quũ iussu Dei mittetur in dextrum nauigii latus. Nec mirum est si nihil ad huc cœpimus quando per noctem hoc est in ignorãtiæ tenebris laboramus.Ego mi Philippe post obitum Gasparis Contareni Car. uiri undiq; laudatissimi, cuius locum in Episcopatu Belunen. tenebã,recepi me in patriã, paulisp'à negotiis quieturus. Modoillic modo hic Patauii, cum amicis ac literatis uiris quoad per temporum perturbatissimorũ conditionem licet,iucunde uiuo,cupioq; Germanis tuis,ac omnibus Christum pie colentibus omnia prospere ac fœliciter euenire quam scilicet fœlicitatem,non in opibus,aut potentiæ, sed in cultu ueræ pietatis, atq; in ardore mutuæ inter nos dilectionis positam duco.Multo enim uberiores fructus mihi uisa est ecclesia peperisse paupertatis & afflictionis tempore, quam opum &potentiæ sed eiusmodi esse debet afflictio, quam quis pro Christi gloria perpenatur,non quam sibi quis pariat sua ipsius malitia.Verum hæc tu melius, super est ut intelligas, fixumq; illud in animo habeas me tui esse amantissimum futurumq; semper memorem tuæ erga me beneuolentiæ, noui ingenium tuum,noui doctrinam, & modestiam tuam singularem testis sum non alienæ à communi concordiæ uoluntatis tuæ quam utinam &cæteri aliquando agnoscant.Vale &Sabino genero tuo multam meis uerbis,te obsecro,dic salutem.

Hier. Niger pro Gaspare Car. Contareno ad Marinum Cardinalem Carraciolum.

ET si ea est conditio temporum,atq; is Christianæ Reip.status,ut is honos,quo nuper nos Pont.Maximus uno prope modum partu honestauit, multo plus oneris ac laboris, quam dignitatis nobis intulisse uideatur, tamen ne tam insigne in

nos studium optimi principis,& tam inauditam multis iam sæculis augendi senatus rationem debita laude fraudemus, est quod uicissim gratulemur, agamusq; immortali Deo immortales gratias, quod in tanta rerum perturbatione, tantisq; periculis signum aliquod spei & salutis extulerit, nihil enim iam non optimum, atq; omnibus numeris absolutissimum de eo Pont. polliceri nobis possumus ac debemus, qui suam omnem curam & cogitationem ad leuandam tot miseriis Christianam Remp. contuleret, quod si lætandum mihi est publicis commodis, cur non & ornamentis amicorum meorum uehementer gaudeam? quo quidem in albo te uel præcipuo loco statuo, qui cum mihi iampridem summa intercesit familiaritas, uariis in locis atq; temporibus confirmata & aucta præsertim, dum apud Cæsarem tu Romani Pontificis, ego Senatus Veneti legatum ageremus, quo sanè tempore memini summam inter nos uoluntatum ac studiorum fuisse coniunctionem, quam spero pro nostra constantia nos in posterū non modo diligentissime seruaturos, uerum etiam mirifice aucturos fas est enim, ut quos, idem ordo coniungit, idem quoq; in Rep. sensus, eadem animorum conspiratio coniungat, puto te memoria tenere periculosissimam illam tempestatem, qua in legatione illa nostra iactati fuimus, dum una in Britanniam traiiceremus, quo tempore ab immortali Deo uotis omnibus expetiuimus, ut si cui forte usui futuri eramus Reip. saluos nos esse iuberet, sin minus perire nos fineret. Ecce salui facti sumus. Nunc alia in naui, tempestas altera subeunda nobis est, priore illa quidem periculosior, à qua certe, liberari non possumus absq; illius ope, qui imperat uentis & mari, hunc orare imprimis debemus, ut mentes nostras dirigat ad ea gerenda, quæ nobis & Christianis populis salutaria sint, qua in re, te mihi præcipuum monitorem adiutoremq; constitui, tua enim in rebus magnis gerendis exercitatio, ac beneuolentia in me tua, mihi omnia summa de te offitia; pollicentur, quæ ut de me ipso uicissim tibi pollicear, cumulatissimeq;, quantum in me fuerit, assequaris, ad me potissimum pertinere intelligo. Vale. Venetiis quinto Kl. aug. M D XXXV.

Gaspar Car.Contarenus Hier.Nigro. S.

QVæsisti nuper ex me, cur sic, quod quum tempus finitum sit,ut sacræ testantur literæ, intelligere ægre possimus tempus cœpisse,aut esse desinere, nam semper initio temporis prius quoddam tempus,& fine temporis posterius quoddã tẽpus nobis se se offert, huic ego dubitationi sic respõdendũ censeo, imaginationẽ nos fallere,quemadmodum etiam fallebat Philosophos Platone & Aristotele antiquiores qui intelligere non poterant spacium ad locum pertinens finitum esse,aut quantitatem corpoream finitam,nam semper ultimo eius fini alia quædam exterior quantitas,qua prior illa finitur,sese offerebat. Quod si expuleris ab animo quod affert imaginatio,& rem sicuti est,intellectu perspexeris facile utrunque intelliges,etenim quantitas hæc corporea finita constare certe non posset,nisi ab alia quadam quantitate infinita contineretur,sed quantitas hæc posterior non est quantitas corporum, sed incorporea quantitas,uis scilicet, & perfectio mentium incorporearum,ac demum primi principii, quam imaginatio nostra effingit esse sui & cognati generis corpoream & diuiduam. Eodem in errore impliciti erant antiquiores philosophi, ut ex Aristotele in libro de motu animalium colligi potest, nam quum omne quod mouetur, quopiam quiescente indigeat,quo nitatur, ac uiderent cœlum ex se moueri, quærere quidnam esset quiescens illud,quo cœlum ipsum niteretur. Nonnulli eorum posuere Athlantem quendam (quod in poetarum est fabulis) cœlum humeris fulcientem, alii uero Axem mundi credidere,id esse quiescens quo cœlum nitatur,Verum (ut in eo libello tradit Aristoteles)cœlum ex se motum principio immobili nititur,non eo quidem modo quo terra immobilis est,sed quemadmodum uox inuisibilis dicitur, quoniam nõ eius generis ac naturæ est,ut uideri queat,sic primum principium,quo cœlum nititur immobile est, quia abstractum est a corpore,neq; eius generis ut moueri queat,q̃q̃ imaginatio, ut imperfecta quædam & fallax animæ uis confestim menti offerat immobile quoddam sui generis Athlantem scilicet seu axem.Non dissimili ratione corporum quantitas finita est,mul-

tisq; rationibus ab Aristotele corporum infinitudo sublata est, continetur tamen ab alia quantitate non corporei generis, seu naturæ sed incorporeæ perfectionis & uirtutis, quam imagina tio corpoream effingit, hancq; secuti philosophi Aristotele an tiquiores decepti sunt. Idem de tempore dicendum est. Tempus utiq; finitum est, ut sacræ literæ testantur, ac fortasse ratione comprobari posset, Non tamen finitum hoc tempus constaret, duci ne posset, nisi infinita quadã duratione niteretur, quæ tempus non est, neq; temporis natura continetur, sed superior quædam mensura est, ac alterius, cuiusdam generis, a qua natu ra hæc temporis est deducta. sicuti ab Archetypo imago duci tur. Hæc uero superior mensura æternitas est, siue æuum, quod infinitum est, nec fluit ut tempus, sed stabile permanens, uniuersum tempus, etiam si infinitum esset, complectitur. Non ergo imaginationi demus manus, ut existimemus ante hoc tem pus finitum, tempus aliud huiusce generis & natutæ præcessisse ant post hoc tempus, aliud tempus huius naturæ subsequuturũ. Sed mente concipiamus superiorem hanc durationem infinitam, non fluentem, sed stabilem, quæ æternitas appellantur uni uersum tempus complectens, ac in immensum sese præter tem poris terminos pandens. Hæc habui (mi Niger) quæ ad dubitationem tuam tollendam pertinere arbitratus sum. ꝙ si hæc mi nus tibi satisfacere uidebuntur, facito me certiorem, rescribam enim fortasse copiosius & planius, nec me ullius unquàm laboris pigebit, modo ad ueritatem proxime accedere ualeamus. Vale.

Hier. Niger Iacobo Sadoleto Episc. Carpentoracten. S.

NOn dubito quin ex amicorum literis, famaq; ipsa longe ac late peruagata cognoris memorabile illud ac uere Romanum Pauli Pontificis Max. factum in augendo noua qua dam & inusitata ratione Senatu. Quæ profectò res quantum momenti allatura sit ad salutem dignitatemq; reip. restituendam nemo te acutius uidet: quem sæpenumero audiui comme morantem nihil esse tam opportunum seditionibus, quibus pe nè funditus concidimus, quàm perditissimo cuiq; malis arti-

bus locum in Senatu honestissimum patere. Addebas etiam te demirari eorum consilia,qui noua quotidie decreta pro reformandis hominum moribus proponebant , quum hanc Reip. partem præcipuam maximeq; corruptam negligerent, imitantes malos medicos,qui neglecta cura interiorum membrorum a quibus fons & origo uitæ ducitur, in extrema corporum superficie curanda laborant. Quis enim non uideat Antistitum ordinem præcordia esse religionis nostræ? quibus perpurgatis ac pristinæ saluti redditis,extremæ Christiani corporis partes nullo negotio conualescent.Id ego arbitror Paulum Pont.Max. multo antea meditatum præsentaneum hoc remedium,ueluti sacram Anchoram ad pturbatissima,hæc tempora reseruasse . Quibus ille sublata hasta omnium rerum tam sacrarum q̃ prophanarum,quæ iamdiu media ĩ urbe steterat,uiris grauissimis, & doctissimis nõ modo id nõ ambientibus sed ne cogitantib. quidem auxit Senatum,tanta cum admiratione omnium gentium uel infensissimarum latino nomini , ut ætas nostra rerum admirandarum feracissima,nihil hoc præclarius admirabilius uetulisse uideatur.Nam ꝙ proxime animaduersum fuerit batanum hominem ignotum plane & nil tale cogitantem ex ultima hispania ad Pontificatum Max.euocatum fuisse, fuit profecto ea res & noua,quam feda&inexpectata, nam &amissa Rhodo oscitantibus iis,qui rerum potiebantur , Christiana Resp. grauissimum accepit uulnus,& ea tum facies urbis uisa est , in qua ne uestigium quidem ullum imperii ac libertatis apparebat.Quod autem Paulus Pont.Max.Tales nunc uiros unius cõmendatione uirtutis sibi probatos delegerit,quos ornaret, & eorum plerosq; nil tale cogitantes ac in remotissimas agentes locis ad altissimum honoris gradum euexerit, fuit nimirum animi magna concipientis indicium , summiq; amoris in Rép. testimonium nulla obliuione delendum . Quare non dubium mihi est te pro tua pietate,atq; in eos, qui tam egregiæ ornati sunt,beneuolentia,tam felici successu reip.uehementer fere gauisurum.Teq; imprimis Gaspari Contareno ex animo gratulaturum,qui etsi tibi usu & consuetudine fortasse est incognitus tamen uirtutum suarum splendore,non modo tibi notissimus esse debet,uerum etiam charissimus. Possum & ego illud

affirmare,quod ex huius uiri frequenti sermone facile perspexi; paucissimos esse homines,quos hic plus amet plurisve æstimet, quam te ipsum,quam equidem inter uos beneuolentiam, sic amabo semper & colam,ut nullum offitii genus,quod ad augendam eam pertineat,sim prætermissurus. Ego enim etsi tuo imprimis hortatu atq; exemplo,relicta urbeRoma in patriam me receperam,honesto in otio tandem quieturus, tamen commotus huius præstantissimi uiri uirtutibus , non potui non huic omnem meam operam,studium atq; industriam polliceri,atq; impendere.Modo is ego sim,qui rectissima ipsius studia, atque consilia ulla ex parte iuuare possim. Atq; illud uelim tibi sit exploratissimum,me nullius alterius dignitate,opibus, liberalitate,ab eo uitæ instituto,quod te auctore sequutus fueram , abduci potuisse, præsertim quum ob recentem memoriam Romanæ uastitatis , cui malo meo fato interfueram , ipsam quoque urbis mentionem perhorrescerem. Sed ea est Contareni humanitas , sapientia , is amor erga me,ut non ab otio ad negotium,sed contra ab negotio ad summum otium idq; honestissimum trãsisse uidear.Quod ad Gregorianum negotiũ attinet, de quo mihi pauloante scripsisti, curassem mandatum tuum celerius,nisi ab fuissem hinc eo tempore quo Rainerius familiaris tuus ad nos uenit cum tuis literis , quæ mihi Bononiæ redditæ fuerunt,unde reuertens ac Ferraria iter faciens cõueni Gregorium podagra laborantem, quid illi agendum foret explicaui,ut scilicet mutato nomine pecunia sibi à Paulo nepote tuo donata uti posset. Distulit ille diutius ad me Syngrapham mittere, ualetudine(ut reor) impeditus , quam tandem nunc misit, itaq; rem conficiam tam tua quam illius causa libentissime uirtutem enim hominis adamaui semper , & ea est fortuna,quæ uel in hoste esset miserabilis. Vale.

Hier.Niger Alexandro Falconio. S.D.

QVod iamdiu nihil ad te literarum dederim , nil aliud in causa fuit quam quod nulla mihi sese obtulerit scribendi materia , nam quemadmodum non scribere , quum necessitas postulat , hominis est ignaui ac negligentis,

ita

ita scribere quum non oportet,hominis est abutentis otio,&pa rum sapientis.Caue autem existimes me uel immemorem tui, uel superbum factum esse,nihil enim a me magis alienum, quã semel susceptam amicitiam deserere,neq; tu is es, quem contẽnere quispiam iure possit.Respondissem uero celerius tuis literis quibus me ad scribendum prouocas,nisi in re Iacobi Moreli nostri ualde occupatus fuissem , qui nuper ab uniuerso Gymnasio miro fauore auctus est sacerdotiolo,multis competitoribus præteritis.Quamobrem est quod huic homini tui amãtissimo familiari meo gratuleris , non tam ob rem ipsam,quæ modica est, quam ob gratiam,qua pollere apud probos & egregios uiros uisus fuit, quod autem ad nostram pertinet necessitudinem,ea profecto tam altis est innixa radicibus,ut nulla ui, nullo temporis,loci ue interuallo conuelli,labefactari ue possit.Atq; id ego te latere minime puto , sed facile intelligo quærimoniam istam tuam non reuocandæ in dubium , sed confirmandæ atq; augendæ necessitudinis nostræ causa , abs te fuisse propositam. Vale.

Hier. Niger Ia.Sadoleto Episcopo Carpentoracten .S.

NOli existimes mihi parum gratum fuisse beneficiu m tuũ quod tandiu siluerim,fuit enim eiusmodi , ut si magna mea in te merita extarent,abunde mihi satisfactum putarem. Quum uero nihil in necessitudinem nostram intulerim præter studium&beneuolentiam facile intelligo parem me offitiis tuis animum afferre non posse,adnitar tamen ea conseruando, eisq; bene utendo,efficere ne te umquam tuorum in me meritorum pœniteat.Quod si qua uis,aut casus , aliquis beneficium huiusmodi interuertet,memoriam tamen illius non patiar interire. Nolo tibi in agendis gratiis pluribus obstrepere , noui enim quàm hæc non libenter legas. Mandatum tuum de præceptore, curabo(quod potero, diligenter) Lazarumq; & Lampridium appellabo huiuscæ curæ,cogitationisq; participes,quis enim tuo isti honestissimo studio non libenter adsit , quum uideat nullum te locum prætermittere istius populi fidei tuæ crediti iuuandi,atq; ornandi, sed doctorum quos requiris maior

hic est penuria, quam fortasse opinaris, duo enim sunt hic hominum genera in studiis optimarum literarum uersantium, alterum eorum qui eiusmodi literas profitentur, idoneiq; sunt ad docendum, inq; existimationem doctrinæ diuturnis, laboribus consequuti, eum iam obtinent locum, ut non nisi magnis propositis præmiis alio proficisci uelint, alterum genus est eorum, qui ut ab iis doctoribus erudiantur in hasce oras uenerunt, horum autem pleriq; non dum ita processerunt in literis, ut ad instituendos alios satis apti esse uideãtur, quod si qui horum iam ad frugem aliquam peruenerunt, qui sanè paucissimi sunt, ii relinquere Italiam reformidant, dabamus tamen operam, ut uirum inueniamus, qui istius iuuentutis commodis tuæq; in istã paternæ charitati, aliqua ex parte possit satisfacere, atq; imprimis probatos homines mores deligemus, quemadmodum tu sapienter admones, non solum tuis ad me literis, uerum & aureo illo tuo de liberis recte instituendis libello, quo nihil unquam lege suauius & dulcius, quanquam præceptorem, quem eo in dialogo formas non audeo tibi polliceri, nec inueniri posse facile existimo, præter unum ipsum operis auctorem, si præceptoris partes suscipere ac sustinere uellet. Si quid in ea re efficere potero, certiorem te quam primum faciam. Vale Pataui idibus septemb.

Hier. Niger Philippo Venerio Sebastiani F.S.D.

SAnè moleste tuli te eo potissimum tempore, quo ab urbe aberam, frustra me domi quæsiuisse, carui enim ea uoluptate, quam mihi tui cognitio, & mutuus inter nos sermo attulisset sed hanc iacturam, quam fecisse me sentio, facile iam sarcire possumus primo congressu, itaq; nullam ego moram interponendam censui, quin statim te de meo reditu certiorem facerẽ, idq; per Epistolam, ut tu quoq; hinc scribendi argumentum & materiam sumere possis. Non enim te latet, quantum in omni re præsertim in scribendo ualeat exercitatio. Neq; ab re summi oratorem stillum esse optimum dicendi artificem sunt opinati. Quare si rectum iter ad uirtutem & gloriam insistere uis, si heres fieri cupis paternæ eloquentiæ, opus est scribendo & dicẽ

do assiduæ te exerceas, atq; imprimis cum probis&doctis uiris libenter uerseris, cum iis rationem studiorum tuorum & lucubrationes tuas communices, errata si in quæ forsan scribendo, dicendoue incideris, corrigi ab iis non modo æquo animo patiare, sed etiam gaudeas. Neq; hæc à me eò scribuntur, quod aut te naturam indocilem, aut me idoneum ad hæc præstanda existimem. Satis enim te paratum atq; incitatum noui ad uirtutem capescendam, cum tua ipsius uoluntate, tum patris quotidiano propè hortatu & monitis, qui quanquam princeps est eloquentiæ & in foro ac iudiciis regnet, tamen superari abs te, sibi honestum & gloriosum esse duceret. Neq; ego quicquam de me ipso polliceri audeo præter egregiam meam erga te uoluntatem quæ profectò eiusmodi est, ut de ea dubitare nunquam possis. Multis enim de causis parenti tuo uiro Clarissimo multa debeo, quas in præsentia commemorare, non est mei propositi, neq; instituti. Te uero tua etiam causa semper diligam, præsertim, si (quod spero) æmulum te paternæ laudis atq; uirtutis agnoscam. Vale.

Hier. Niger Ioannibaptistæ Egnatio.S.

QVum exploratum mihi esset, quãtum in huiusmodi præstandis offitiis diligens, accuratusq; sis, non dubitaui Iacobum Morellum Patauinum familiarem meum tibi commendare. Is quum ab impuro homine litigatore omnium improbissimo in sacerdotio quopiam uexaretur, ut litium molestias declinaret, causam omnem ad arbitriũ Cosmi fabe ex composito reiecit, facta ei potestate ex æquo& bon o controuersiam dirimendi. Quanquam autem perspecta mihi est iampridem fabæ probitas, iuris peritia & prudentia, tamen si istius animus quem a Iacobi rationibus alienum esse non puto, tua ipsius opera auctoritateq; confirmaretur, facilius rem ex sententia confici posse existimaui itaq; hominem uetere familiaritate mihi coniunctum, ac domi meæ penè natum, tibi ita commendo, ut maiore studio quenquã commendare non possem. Nam si Iacobus alterum à possessione deiicere conaretur, in eo quidem commendando essem parcior, sed quum is in

poſſeſſione retinenda, optimo iure, maximis laboribus & impenſis acquiſita laboret, uidetur perfecto dignus, cui boni omnes opem,atq; auxilium ferant noui utriusq; ingenium,mores disſimillimos,uelim hoc mihi credas ut teſti, illudq; tibi argumento ſit maximo , Gaſparem Contarenus ſummi ordinis antiſtitem, quem noſti fuiſſem hominem lentisſimum, non potuiſſe diu iſtius improbitatem damnare, arrogātiamq; per ferre demum coactumq; fuiſſe (quod nullum umquam fecit alteri)inſolentisſimum hominem ex ſuo ipſius contubernio expellere ſcis Tullianam illam imprecationem Dalmatiæ Dii malefaciant,ſing.n.habiti ſunt,ſed noſtra ætate pleriq; eorum in ſeruitutem redacti uirtutem & ſcientiam rei bellicæ, amiſerunt,pertinaciam perfidiamq; retinuerūt.Tu uero uale , tibiq; perſuade me tuæ in hac re diligentiæ , amorisq; in me tui perennem memoriam diligentisſime conſeruaturum.

Hier.Niger,Marcello Ceruino Cardinali Sanctæ Crucis. S. D.

SCripſit ad me nuper Mitropolites Corcyreus multa ſeſe de mea uoluntate ſtudioq; in Remp. tecum fuiſſe collocutum , ut ſi quando mea opera atq; induſtria non inutilis Reip. fore uideretur,intelligeres nullo me loco defuturum . Ex quo quidem ſermone inter uos habito adſcribit non dubia ſeſe tui erga me amoris indicia perſpexiſſe,quod ſane multo mihi fuit gratius, atq; iucundius , q̃ res ipſa,de qua ſermo eſt habitus. Etenim a uiro ſumma dignitate,ſummaq; uirtute prædito haberi me eiuſmodi,qui præſtare quicquam posſim , quod expediat Reip.ualde mihi honeſtum & glorioſum cenſeo . Itaque nullam ego moram interponendam putaui quin confeſtim immortaleis tibi agerem gratias,afferremq́; breuem rerum mearum explicationem,ut tibi omnis uitæ meæ ratio, atq; inſtitutio foret exploratior . Agitur annus iam trigeſimus , ex quo primum ex his Academiæ umbraculis in campum iſtum &puluerem prodii,quo in ſpacio atq; curriculo (quæ Dei opt. max. benignitas fuit)ita ſum uerſatus, ut mea induſtria nemini unquam ingrata,multis etiam fuerit ſalutaris, mihi uero plus la-

boris attulerit,quam commodi & ornamenti. Quod ego non casui aut fortunæ(absint enim ab ore Christiani hominis, hæc uerba) sed diuinæ adscripserim uoluntati. Quo factum est,ut æquissimo animo susceperim,quamcunq; mihi conditionem ui tæ rerum ipse moderator & arbiter præscripsisset. Neque tam ad eos,qui me honore & opibus antecellerent,oculos animũq; conuerterim,quàm ad eos qui deteriore conditione essent, atque ego sim. Interdum etiam calamitatem eorum, qui ex præalto rerũ fastigio in maximas corruissent miserias,contemplatus ,perbeatum me existimauerim, ꝙ in eo essem loco atq; ordine,in quo mihi rerum uicissitudo ac perturbatio magnopere formidanda non esset. Quamobrem Gaspare Contareno Cardinale summo uiro uita functo,cuius in omni rerum publicarum administratione adiutor & minister fui, in meum me nidulum recepi,non illum quidem itacensem saxis affixum asperis,uerum in ora Italiæ positum amœnissima & pacatissima,in qua ita perfruor honesto otio,ut si qua uis, & necessitas, hinc me exturbet,aut utilitas Reip.suadeat aliò commigrare, paratus sim quod mihi reliquum uitæ est, in perpetuis laborib. libenter consumere,totumq; me illius permittere uoluntati, à quo & nostra ipsa uoluntas habet,quod uelit, & intelligẽdi uis ꝙ intelligat. Habes iam & ante actæ uitæ meæ & propositæ rationem paucis explicatam,tuum est statuere de me id quod è Rep. fore censeas,& (quod fecisti semper) amicorum memoriam,qua nihil est in omni uita charius & suauius, diligentissime conseruare. Vale.

Hier. Niger Andreæ Cornelio Card. S.

SEra gratulatio non minus grata tibi esse debet quàm matura seges esse soleat,præsertim quum ob ueterem, quæ inter nos est necessitudinem,meamq; in te obseruantiam singularem satis exploratum habeas me honore isto,quo nuper auctus es,megnopere fuisse lætatum. Deum quæso immortalem nobis istud fortunet gaudium;cuius quidem uoti compotes erimus,si pro tua prudentia existimaueris. Ornamenta ista nihil aliud esse quam spacium & curriculum exercendæ uirtutis,

a qua si (quod spero) nunquam deflexeris, maiorum tuorum gloriam facile superabis. Vale.

Hier. Niger Iacobo Sadoleto Car. S. P. D.

EX literis Antonii Florebelli, quas proxime accepi, facile perspexi quam prudenter, amanterq; me moneas, ut post habitis commodorum meorum rationibus primo quoq; tempore exeam in prouinciam, facturus pergratum non tam Farnesio Cardinali summo uiro, quàm Deo Opt. Max. cui nos imprimis nauare operam decet. Equidem si ad eiusmodi uirũ scriberem, cui non omnis anteactæ uitæ meæ ratio atq; institutio satis cognita, perspectaq; foret, conarer ei planum facere nunquam me officium ac pietatem priuatis meis commodis posthabuisse, atq; utinam non ingrati erga me extitissent ii, apud quos meam ipse operam, atq; industriam posuissem, sed quid ego hæc ad te, cui totum præteritæ uitæ meæ spacium atq; curriculum æque, ac mihi est exploratissimum, quiq; fortunam, qua usus sum durissimam & iniquissimam non modo ægre tulisti semper, uerum etiam consilio authoritate & opera quantacumq; in te fuit lenire studuisti. Quo quidem studio te nunc incitatum atq; incensum puto id mihi oneris imponendum curauisse, sic enim malo dicere quam muneris. Nam quis non grauissimum appellet onus homini iam exacta fermè ætate laboribus fesso, in pacatissima Italiæ ora quiescenti, in externã & longinquam regionem commigrare, in qua non dubitet multa sibi pericula & incommoda fore subeunda. Sed ut spero uincet iter durum pietas, nam (ut Apostoli uerbis utar) noui satiari & esurire, abundare & penuriam pati, omnia possum illius ope, qui omnia potest, pro cuius dignitate & gloria si moriendum mihi sit, non uitam cum morte, sed potius mortem cũ uita commutauero. Quamobrem quum primũ a Farnesio literas accepero, proficiscar ad uos cetera omnia, quæ ad priuatas rationes meas attinent, uoluntati arbitrioq; tuo permittam. Vale.

Hier.Niger Antonio florebello.S.

LIbrum tuum de auctoritate Ecclesiæ nuper mihi à Paulo Sacrato traditum perlibenter legi;quo quidem libro cau sam religionis, ita pie diligenterq; defendis,ut nihil amplius desiderari posse uideatur. Atq; ut cætera prætermittam, quæ me in ea lectione magnopere delectarunt,miris modis placuit mihi tua in increpandis hereticorum moribus modestia. Quo rum ego impurissimam uitam,dum in Germania essem, cõspi ciens,demirabar eorum insaniam , qui doctrinam hominum tam flagitiosorum sequuti fuissent . Tu uero parce admodum ac leuiter hunc locum attigisti,ne incideres in eam procacitatẽ &maledicentiam,quam aduersariis non iniuria obiicis. In quo uisus es mihi egregius imitator Iacobi Sadoleti uiri sapientis simi ac modestissimi,qui scibendo dicendoq; aut neminem car pit umquam,aut si quis ei reprehendendus occurrit , ita redar guit,ut offitii&charitatis eius, plena uideatur esse reprehensio. Neq; uero dubium mihi est,quin hoc libello partem hoc tempore maxime necessariam tractaueris , cum aduersus impietatem & petulantiam eorum,qui ecclesiam tandiu uexant , nihil habeamus, quod authoritate ipsius ecclesiæ firmius,& ualidius possimus,opponere.Atq; utinam multi ex nostris contenti hoc ueluti,primo principio singula religionis mysteria in discepta tionem & controuersiam non reuocassent . Dum enim ea quæ iãpridẽ sancita&cõstituta sunt plurimis uerbis cõprobare studẽt,authoritati Ecclesiæ plurimũ detraxerunt . Sed hæc tu melius. Pergratum mihi fuit ex sacrato cognosse uos istic ualere. Verebar enim ne quirinalis iste uidetur offensionem aliquam uobis intulisset, sanè cœlum istud ab hominum frequentia semotum æstate præsertim non satis probo , sed iamiam (ut audio)in Vaticanum commigrabitis.Vtinam possem &ego apud uos uiuere tribus mensibus, eam enim ueram & in terris perbeatam uitam ducerem, sed nescio quo pacto me nihil studio sius q̃ otium appetentem in dies magis magisq; domestica im plicant negotia,quibus si aliquando tandem explicabor, constitutum habeo ad uos proficisci,quod quando futurum sit,adhuc mihi est incompertum,faciam tamen antea uos certiores.

De sacrati studiis nihil aliud ad te scribo, quam quod sæpe scripsi,hoc est summa ope hunc niti,ut auunculi cognatione & gratia dignus habeatur. Vale & Cardinali nostro amplissimo multam,te obsecro,meis uerbis dic salutem.

Antonius Florebellus Hier.Nigro.S.

PRobari tibi editum a me de auctoritate ecclesiæ librum libenter cognoui ex tuis literis,&si enim laudas eum multo uberius,quàm laudandus meo quidem iudicio esse uideatur, tamen iucunda mihi & suauis approbatio hæc accidit tua,quippe quæ studii & amoris erga me tui iudicium ac testimonium est,atque ego quidem uehementer cuperem uera esse quæ scribis,eaq; qua oportuit grauitate & rerum copia id a me argumentum tractatum atque explicatum fuisse, idq; non laudis meæ cupiditate,sed publicæ utilitatis.Certe enim ut tu uerissime iudicas ad refutandam eorum,qui his temporibus prolata sunt dogmatum impietatem nihil auctoritate ecclesiæ grauius firmiusq; afferri potest,sed ego in eo opere haud præstare plus potui,quàm quantulum mihi a Deo facultatis impartitũ ac tributum est,existent fortasse (id quod uehementer opto) alii,qui tanta de re grauius scribent & ornatius.Quod uero de prauis aduersariorum moribus, & flagitioso uitæ genere non plus attigi,quàm quantum causa poscebat, in quo modestiam meam tibi probatam esse scribis,planè ita faciendum fuit,ut & locum attingerem maxime necessarium,& id sine ulla petulantia facerem,præsertim cum is admodum lubricus sit locus, ac si uehementius egissem,maiorem illis licentiam uicissim accusandi mores & praua instituta nostrorum fuerim lagiturus, qui nunc si in respondendo,ea qua solent male dicendi libidine efferrentur,eorum futura est insignior petulantia & procacitas.Sed de libro hactenus.Quæ de Sadoleti Patroni mei ualetudine ex meis ad sacratum literis cognouisse te scribis,ea tibi iucunda fuisse minime miror.Neque enim quanti tu illum iam pridem facias, ignoro mutuiq; amoris eius erga te testis ipse sum optimus,Qui quum à me salutatus esset uerbis tuis, & tua sui memoria uehementer delectatus est,& multa mecum de te ami-

amicissime est locutus. Atq; ut illius tui augendi, ornandiq; studium agnoscere possis paucis ante diebus de te cum amplissimo & Clariss. Viro Alexandro Farnesio accurate locutus est, egitq; ut quoniam is de mittēdo Auenionem homine idoneo cogitat, qui illa in ecclesia ipsius sit Vicarius, te ad id honestissimum munus, si uideretur, deligeret, quo quidem in sermone tibi eiusmodi dedit testimonium, quod perpetuum ipsius de tua uirtute, probitate, doctrina iudicum postulabat, hoc ut ad te scriberem, mandatum mihi ab eo est, quo uoluntatis tuæ certior abs te fiat, nam si ab ea curatione, suscipienda te minime ab horrere cognouerit, de ea tibi mandanda ac curatius etiam acturum esse se ostendit, omnino ut facilius deliberare de hac re posis, munus id multo honestius est, quam quæstuosius, sed uitæ quæ illis in locis degitur quies, regionis amœnitas, eorum quæ ad uictum pertinent copia, imprimisq; hominum hospitalitas, quæ laus eius gentis, ut mihi quidem uidetur, propria est, quouis quæstu homini præsertim à lucri cupiditate & ambitione remoto potiora, optabilioraq; esse debent, sed quid consilii tibi capiendum putes, pro tua prudentia ipse statues. De studiis sacrati nostri, eiusq; ad uirtutem, doctrinamq; progressu, quæ scribis, ea nobis iucundissima fuerunt. Sadoletus tibi, reliquisq; qui istic sunt amicis suis. Matthæo Dandulo, Lazaro, Rulloq; optimis doctissimisq; hominibus salutem plurimam ascribit. Vale.

Hier. Niger Ioanni Persicino. S.

MVnusculum tuum fuisset mihi iucundius si nuncius eo mecum uesci uoluisset, neq; enim est Papinianus conuicia, qui una cœnula penum omnē exhausisset, nemo unquam mihi grauis est hospes, adeo sum uenientibus (ut scis) familiaris, nos hic tecti pellibus, & armati ocreis laneis pugnamus cum frigore penè germanico, qui putas agi nunc cum tuis Bellunensibus. Nuper Vicarius prætorius ad me uenit, mihiq; omnia illinc pacata, & læta nunciauit, credo eo prætore dedissent arma ferre, ut iam bellunenses dici non debeant. Post discessum hinc tuum ludus literarius æditurorum nostrorum maxime fri

get,hodie in ſacris annuis epiſcopelli(noſti hunc morem) ora tionem habuit neſcio quis tam ineptam ut nihil unquam fuerit auditam ineptius, & tamen non deſunt qui hæc probent ac probari a cæteris uelint, euticen, ſacrificulum ateſtinum, Baptiſtam Pharmacopolam , atq; imprimis medicum iſtum perpolitum hominem ſaluere iubeo,tu ualetudinem cura tum familia uniuerſa,ne ſecerdotis,Pharmacopolæ,aut medici opera indigeas. Vale.

Hier. Niger Antonio Florebello.S.D.

PErgratum mihi fuit ex Sacrati noſtri ſermonibus cognoſſe incolumem te in patriam reuertiſſe, ſed mentio inter nos habita de te, deq; Sadoleto ipſius auunculo qui proxime eſt mortuus auxit dolorem noſtrum,cōmuniſq; calamitatis memoriam renouauit.Nam ſi alienis hominibus,atq, inuidis,talis uiri interitus non potuit non eſſe luctuoſus atq; acerbus, præſertim hoc tempore , quo illius ſapientia & probitas afflictis rebus opem aliquam afferre potuiſſet, quanto luctuoſior, acerbiorq; eſſe debuit nobis amiciſsimis, quibus multæ eximiæq; illius uiri uirtutes diuturna familiaritate, & quotidiano uſu exploratiores erant quam cæteris. Amiſimus breui tempore quattuor inſignes uiros,eiuſdem ordinis , eiuſdem in rep. ſenſus & uoluntatis, eoſq; inter ſe ſumma neceſsitudine coniunctiſsimos,Fregoſiū,Contarenum,Bembum, Sadoletum , quattuor Clariſsima ætatis noſtræ lumina , ueluti columnas quattuor Chriſtianæ pietatis et (quod ad priuatam meam calamitatem pertinet)omnes beueuolo erga me animo atq; egregia uoluntate,quam ego cladem Reip. quoties conſidero (id autem fit ferè quotidie)toties irā in nos Dei Opt.Max. perhorreſco,cuius gladiū iā diſtrictū atq; euaginatū eductū in perniciē ſæculi noſtri talibus nudari præſidiis facile animaduerto. Nam (quod ad illos attinent)gratulandum potius eſt illis,quos mortis (ut ita dixerim) opportunitas,tot iam imminentibus malis,ruiniſq; ſubtraxerit, nobis uero deploranda eſt calamitas noſtra quod tū præcipue ſubſederint fundamenta militantis eccleſiæ, quum ea maxime tot arietibus, tot machinis quatiatur,ut nihil aliud iam quam totius ſtructuræ uaſtitas & ruina

superſit. Quo fit, ut æquiore animo ferendat ſit non ſolum amicorum mors, uerum, etiam noſtra, ſi quando eandem quam illi uiam ſunt ingreſſi & nos percurremus, antequam præcipitãs nos tempeſtas abſorbeat. Memoria teneo Contarenum noſtrum ſupremo uitæ die quum a familaribus ſuaderetur, ut eo animo perferret mortem qui philoſophũ & Chriſtianum hominem deceret. Exhilarata fronte reſpondiſſe, agi ſecum feliciſſime, quod tum uita excederet, quum plurima, & maxima undiq; circunſtarent pericula, nec longe abeſſe tempus, quo poſteri pæclare actum cum mortuis eſſent arbitraturi. Quamobrem te hortor & amice moneo, ut ſi quis adhuc animo reſedit tibi dolor ex patroni amantiſſimi interitu, eum penitus abiicias, præſteſq; te eum uirum, quem tua ſingularis eruditio & diſciplina à Sapientiſſ. Viro tradita poſtulat, incumbas autem toto (ut aiunt) pectore, (ut quæ Sadoletus ad uſum poſteritatis elegantiſſime ſapientiſſimeq; conſcripſit, ea ne pereant, ſed primo quoq; tempore proferãtur in lucem, hanc exiſtimo non poſtremam fore curam Pauli Nepotis, quem ſi tua diligentia adiuueris, non tam Sadoleti gloriæ quam ille modo, ut opinor) contemnit, quam offitio & publice conſules utilitati. In quo meum quoq; ipſe operam pollicerer, niſi uos abunde ſatisfacturos putarem. Cetera autem, quæ pertinebunt ad meũ erga te beneuolentiã declarandam, ita polliceor, & præſtabo, ut maiore ſtudio polliceri & præſtare non poſſem, ſi Sadoletus uiueret, meumq; ipſe officium expoſceret, cui omnia debebam. Vale.

Hier. Niger Ioanniantonio Salcio. S. D.

QVas à te proxime accepi literas eæ mihi fuere quam gratiſſimæ, cum quod ex eis proſpexerim uigere apud te noſtri memoriam abſentis, tum facile cognouerim non parum te in dies proficere in ſtudiis bonarum literarum quo quidem nihil aut præclarius aut mihi gratius efficere potes, uiciſſim autem minime eſt quod dubites eãdem mihi erga te eſſe ac ſemper fore, uoluntatem. Quod ſcribis cupere te in hoc florentiſſimo orbis terre Gymnaſio Iuri Pontificia operam da

re,sed angustiam rei familiaris esse tibi impedimento, & desiderium probo tuum, & doleo eam mihi non esse facultatem, qua tua possim incommoda subleuare. Maior enim mihi est alenda familia, quam mearum tenuitas fortunarum ferre posset, quantulæcumq; tamen eæ sunt amicis communes uoló esse. Nec tibi unquam mea uel authoritas, uel opera est de futura, modo in eodem uirtutis & pietatis uestigio perstes. Interea dabis operam ne iacturam facias temporis, quæ ut est omnium grauissima ita est irreparabilis, eloquentiæ studiis, perpetuo incumbas, ipsumq; dicendi magistrum. M. Tulium nunquam de manibus deponas, nam siue Philosophiam, siue legum disciplinam tibi proposueris perdiscendam, fidelis & periucundam comes erit eloquentia sine qua insuauis & arrida est omnis doctrina, imprimis autem cura, ut quotidiana rerũ scriptione exerceas ingenium sic.n.fies ad dicendum paratior & promptior, malos latinitatis authores tamquam pestẽ de uita, ea enim lue infecta adolescentum ingenta, uix possunt nitorem latini sermonis excipere. Sed totam studiorum rationem cum ex ipso Cicerone & Fabio Quintiliano grauissimis authoribus tum uero ex aureo dialogo Sadoleti de liberis recte instituendis petere potes, quem libellum uelim omnino perlegas, & familiarem habeas. Vale.

Hier. Niger Tyberio Deciano Iureconf. S.D.

NOn possum non summopere probare inusitatum apud nos Turcharum morẽ iudiciorum anfractus auersandi, controuersiasq; omneis paucissimis uerbis e medio tollendi, quis est enim mortalium tam deprauato ingenio, tam expers humanitatis cui non stomachum moueant tot libelli, tot exceptiones, tot interdum parua de re ingentia uolumina, ut uerissimum sit maximam de nihilo historiam, immo uero fabulam nasci, quis non demiretur astu tabularum litem ex lite quasi uitem propagari, atq; una uexilum extincta alterã ueluti hydram procreari attollentem iras & cerula colla tumentem, quod monstri genus non Hercules, nec ipse Iuppiter Herculis genitor perdomare posset, prætereo clamores, iurgia, cædes, pa

trimoniorum, ciuitatum & regnorum euersiones, quæ ex hoc fonte omnium pestilentissimo quotidie manant, quæ profecto pestis& si iam totum ferè terrarum orbem miserrime depopulatur, in nulla tamen prouincia sæuius grassatur, quam in nostra. Nam ut de Turcis taceam, quorum mores & instituta non aliter quam ex aliorum testimonio mihi præcepta et cognita sunt, uidi ego Germaniæ populos quos nostri barbaros appellant, miro silentio& perpaucis uerbis de maximis controuersiis iudicare, eorum curiæ litigantium uociferationes non sentiunt,neq; Volusiani annales ad scribarum saginam disiunctis literis, & spaciis quam latissimis conscribuntur. Vnum admiror in Italia Cosmum Medicen Florentiæ principem,quem (si uera est fama ferunt lege cauisse, ne ultra Semestre ciuilis causa indefinita pendeat,non esset, mea quidem sententia indecorum aut turpe Regibus & gubernatoribus ciuitatum petere exemplum ab eo, qui licet patria libertatis occupator uulgo censeatur,ita tamen iustitiam& pietatem colit ut Florentinis ciuibus libertas non erepta, sed reddita ,non sublata,sed conseruata esse uideatur. Contra memini me uidisse locum Perusiæ inter duos priuatos domuũ parietes, ex quo Eneus olim anser prominebat, de quo cedium illarum domini annos triginta litigauerant, quum eorum quisq; signum illud ad se pertinere diceret, consequutæ inde fuerant multorum hominum cædes, exilia, publicationes bonorum, nec dum finiri lis poterat,donec Paulus Secundus Pont.Max. ut erat uir pacis & otii studiosissimus,quum in eam urbem uenisset , in faustum ex eo loco anserem deturbari iussit, controuersiamq; diremit. Sic auem seruatricem capitolii,& custodem Romanæ libertatis uitilitigatorum pertinacia infamem reddidit, quorsum ego hæc ad te uir præstantissime,qui hæc omnia non solum nosti,sed etiam singulis horis non sine stomaco (ut arbitor) experiris. Quippe ut intelligas me quoq; in eadem esse naui , & iisdem iactari fluctib. Bernardo Naugerio prætore optimo ac doctissimo,teq; ille assidente uiro (ut audio) probitate, ingenio , & doctrina singulari. Quanquam enim meus ordo,meaq; ab ineunte ætatæ uite ratio & institutio me à litibus &ab omni forensi strepitu longe alienum atq; abhorrentem reddunt, cogor tamen

hominum malitia id genus molestias perturbationesq; subire, &(quod inuitus facio)eos accusare , qui fortasse capti falsa specie humanitatis & Clementiæ id mihi negotii exhibuerũt eos inquam quos uulgo sindicos appellant, magistratum quidem ad publicam utilitatem a maioribus nostris institutum, sed non nunquam ad perniciem priuatorum conuersum . Fuit enim ille priscis temporibus a Sapientissimis Viris Venetæ Reip. moderatoribus ad sedandas lites non ad exsuscitandas creatus, ad subleuandos tenuiores locupletum potentia oppressos,non ad eos ad rapinam concitandos institutus. Verũ idem fermè nobis accidisse uidetur quod Romanis qui tribunatum ad conciliandos plebis animos adinuentum postea pestiferum Reip. persenserunt.Sic triumuiri illi nostri prouocationum iudices, qui singulo quoq; lustro Venetam omnem ditionem peruagantur, dum nullo delectu prouocationes recipiunt ac misericordes uideri uolunt,extinctas& penè consepultas interdum controuersias excitant,hominumq; fortunas litibus inuoluunt sempiternis.Id mihi contigisse animaduertes, acta perlegens, uidebisq; consopitam iam sex annorum curriculo controuersiam fuisse renouatam . Quæ quum uestro demum iudicio sit commissa,non iam oro te ut quicquam contra ius fasq; in meam gratiam facias,nam neq; rogatus id faceres, neq; meus pudor id pateretur,ut peterem, sed tantum moneo, ut aduersariorum calumnias notes, mutuo accepta testimonia hominum proditorum mihiq; inimicissimum ac inter se diffidentium reiicias demum sic tuo fungaris officio, ut omni ex parte iudicii tui speciosissima facies æquitatis appareat . Vale.

Hier.Niger Aloysio Arseo.S.D.

EX Agathopisto medico cognosse te arbitror nullo me loco causæ tuæ defuisse, dum de præceptore huiusce iuuentutis deligendo ex testamento Regiensis ageretur. Sed res(ut uideo in calendas) græcas reiecta est , quod hæreditas illa ad eum censum nondum peruenerit, qui sufficiat impensæ , neq; id nisi multorum annorum curriculo confici possit, sanè eorũ

lenitatem demiror, qui rem proposuerint immaturam, & tot turbas excitarint intempestiuo admodum tempore. Hunc tamen ipse fructum ex hac re es consequutus, quod beneuolum multorum in te animum egregiamq; uoluntatem sis expertus. In quo amicorum tuorum ac imprimis Egnatii grauissimũ de te testimonium plurimum ponderis habiturum fore uidebatur, istius enim uiri iudicium eiusmodi est,ut non illi acquiescere turpe atq; impium esse uideatur. Tu interea fac ualeas, tibiq; persuasum habeas familiaritatem inter nos honestis huiusmodi ortam initiis perpetuam futuram. Meq; hoc nomine Agathopisto &Euphileno debere plurimum, quod conciliandæ inter nos amiciciæ auctores fuerint. Pergratum autẽ mihi feceris, si Egnatio salutẽ dixeris meis uerbis, quem ego hominem semper mirifice colui, & suspexi ueluti patriæ atq; ætatis nostræ præcipuum decus. Vale iterum & me ama.

Hier. Niger Antonio Patauino Monacho Montis Olíueti S. D.

TAntum abest, ut cuiquam dolendum sit te in adolescentia tua sanctissimæ religionis iugum subiisse, ut etiam lætandum sit omnibus, qui te diligunt, agendæq; sint immortales gratiæ spiritui sancto, quod tibi in tenebris erranti lumen extulerit, atq; in hoc lubrico humanæ uitæ calle,uix pedem figenti dextram porrexerit adiutricem. Cogita quæso quid reliqueris, quid inueneris, hic laqueos, erumnas, pro cellas reliquisti; istic ueram libertatem, quietem, portum nactus es. Non enim ueram libertatem appello euagandi licentiam, sed honestum otium,& recte uiuendi facultatem, quæ in moderata solitudine dubio procul paratior est, quam in uulgi frequentia,& strepitu. Legimus in Euangelio Christum Orantem non discipulos omnes, sed per paucos secum assumpsisse, & in montem conscendisse,sæpe etiam declinasse à turba, ut ostenderet propriores nos Deo fieri,quum ab hominum cœtu ad solitudinem corpus atq; animum seuocamus. Nec te moueat quod dulcissimos parentes, familiamq; omnem posthabueris, memor euãgelici illius oraculi non esse Christo dignũ,

qui parentes plus amat, quam Christum; alio quoq; loco scriptum accepimus nolite uobis uocare patrem super terram, unus est enim pater uester, qui in cælis est. Pater noster Deus est, qui nos creauit ex nihilo, creatos conseruat extinctos peccati labe sacro baptismo regenerat, renatos sempiterni regni sui coheredes facit, si cum iis beneficiis, ea conferas, quæ a terrenis parentibus accepisti, ne quidem digna illa sunt, quæ beneficia nuncupentur. Quanquam est, quod illis plurimum debeas, quod in te gignendo ad ministri Dei fuerint, quod te aluerint optimis exemplis atq; institutis, neq; illo dixerim fore abs te derelictos, quibus multo plus in cœnobio, quam domi ꝓdesse possis. Nam & prælianti populo Israelitico, plus Mosis & Aaronis preces, quam militaria arma profuere. Dices fortasse cur tu quoq; uiam non arripis, quam tantopere extollis? Certe si istuc uocari me a Deo Opt. Max. persentirem, non possem, neq; deberem diuinæ resistere uoluntati, sed me alio uocatū sentio, nullumq; est uitæ genus, in quo non pie, sanctęq; uiuere ualeamus. Nonne & militibus armatæ militiæ ꝑcepta salutaria Christus dedit, quæ utiq; non dedisset, nisi & illi Beatæ uitæ compotes extitissent. Illi tamen censendi sunt omnium Beatissimi, quos Deus peculiari quodam munere, ad perfectam uitam euolauit. Sed illud imprimis accurate custodiendum est, ut in ea uocatione, qua uocati fuimus, perpetuo maneamus. Nam & Iudas ad Apostolatum uocatus est uiua Christi uoce, quem tamen Iudeis prodidit crucifigendum. Nemo(inquit Christus, manum admouens aratro & aspiciens retro aptus est regno Dei. post aratrum respiciunt, qui ad ea, quæ reliquerunt, animum reflectunt, ante aratrum prospiciunt, qui non confectum iter, sed conficiendum considerant. Grandis adhuc tibi restat uia, priusquam peruenias ad montē Dei oreb, quæ tamen non grauis, neq; molesta tibi futura est, si cum Dauide frequenter dixeris. Vias tuas Deus demonstra mihi, & semitas tuas edoce me. Quamobrem, te hortor ac moneo, ut recti istius propositi sis tenacissimus, tempusq; omne, quod tibi diuinæ laudes reliquum facient, in studiis literarum libenter impendas, quo quum adoleueris, diuinæ possis incumbere lectioni, quam qui uere adamant, amare uitia non possint. Vale.

Hier.

Hier. Niger Ant. Patauino Monacho Montis olíueti.S.D.

POsteaquam renunciatum mihi est cœnobitam te esse factũ, sanè æque ac debui gauisus sum, cum alias ob causas, tum uero quod existiuarim te adolescentem fæcundo ingenio præditum, isto in ocio non possurum diem unum sine linea præterire, atq; id facturum te mei etiam exemplo apud quem biẽnio didicisti quam calamitosum censerem tempus omnium præciosissimum nobis e manibus elabi non sentientibus. Verum quum post discessum hinc tuum, nihil ad me literum dederis, etiam altera mea lacessitus epistola quam ad te de religionis constantia præscripseram, cæpi sub uereri, ne aut in tã fælici, uitæ statu esses, ut nos pernihilo duceres, aut in tam misera conditione fores, ut nullum tibi respirandi spacium daretur. Quod si in alterutro uersandum tibi esset malem equidem te (quod opinior) in statu esse fælicissimo, fieri.n.minime posset, quin nostri memoriam reteneres. Quidem & eos facere credimus quorum animi cælesti generalia perfruuntur, quum .n.illi perfectius nos diligant quam in mortali uita dilexerint, iure optimo arbitramur, eos orare pro nobis, cupereq; ut, & nos beatæ illius uitæ participes simus. Quamobrem, si uis nos de te bene sentire ac propositum tuum plene laudare, opus est, ut tuæ istius uitæ testimonium aliquod perferas, imiterisq; ueteres illos monachos, Egypti & Thebaidis incolas, qui quanq̃ in solitudine degerent non desistebant tamen quoitdie legendo scribendoq; se ipsos, & amicos in remotissimis agentes locis consolari, ac iuuare is est enim iucundissimus monasticæ uitæ fructus. Quo dempto, nihil est ferè quod non in eo fastidium pariat, scio te nondum per ætatem ad eam peruenisse frugem, ut magna concipere, & moliri possis, at si inadolescentia non elaboraueris, exercuerisq; ingenium tuum, frustra maturiore euo messem expectabis. Reliquum est, ut te certiorẽ faciam, constitutum nobis esse quum primum erit commodum uenire istuc, diemq; iutegrum mutuis collocutionibus non dicam absumere, sed lucrari. Tu interea Vale & nos ama.

Hier. Niger Iacobo Sadoleto Episcopo Carpentoracten. S.

QVum post urbis Romæ calamitosum excidium, nudus rerumq; omnium egenus in patriam confugissem, nihil duxi antiquius, quam ut ad te scriberem, non quo tibi hac iampridem (ut reor) notissima significarem, sed quo tecum communes deplorarem miserias, iudiciumq; exquirerem tuum, quid nam ipse futurum censeas, quam præterita mala, atq; præsentia, multo ante quam fierent, præuidisti. Memini enim te cum sæpe alias, tum uero sub tuum ex urbe discessum multa mihi de impendenti urbis excidio, de Italiæ uastitate, atq; imminēti totius fere Christiani orbis ruina, diuinitus prædixisse, explicatis causis propter quas hæc fieri necesse foret. Simul etiam me amice monuisse, ut cederem tempori, neq; tēpestatis iaiam ingruētis uim diutius expectarem. Quibus ego monitis si continuo paruissem, auditor tantum Romanæ Cladis, non spectator & particeps extitissem, sed obstiterūt fata (hoc est Dei uoluntas, qui me in eadem naui esse uoluit, in qua essent hi, qui naufragii auctores fuerunt. In quo & si Iacturam feci maximam, non tam fortunarum mearum, quæ infra mediocritatem erant, quam uigiliarum omnium, quas in communibus nostris studiis posueram, tamen immortaleis habeo gratias Immortali Deo, qui me ex tanta cede tantisq; gurgitibus cruoris emersum ad patrium littus adnatare permiserit. Itaq; est quod grauiter doleam, est etiam quo læter plurimum, lætarerq; magis, si hoc uulnus aliquando illis esset salutare, quibus est inflictum, neq; ille Leonum more uerberati fierent ferociores. Iam nemo est ferè, qui non palam dictitet nos erratorum nostrorum pœnas lueres, quæ res auget dolorem, quum nullus misericordiæ locus nobis relictus esse uideatur. Quem putas actum de nobis triumphum non modo ab hostibus, qui singulo quoq; uerbo sese uindices ad ministrosq; diuinæ iustitiæ fuisse prædicabāt, sed etiam à cuncta Italia, ab omnibus Transalpinis & Trasmarinis nationibus, quæ nos euersa urbe profugos, bonis omnibus dispoliatos ac fame penè confectos non modo nulla humanitate exceperunt sed etiam ludi

brio, probrisq; affecerunt,quasi ea dignos fortuna , in quam miserrime concideramus Quæ si molestissima fuerunt his,qui tantorum malorum causa extiterant , quanto molestiora putes fuisse nobis Innocentibus, nisi forte in ea re nocentes fuimus, quod Romæ hoc estin sentina omnium rerum atrocium & pudendarum deprehensi fuerimus. A quo quidem crimine tu sapienter admodum ac feliciter absuisti, nam quum uideres consilia tua non satis probari rerum gubernatoribus , Paulo ante quam omnia tumultu bellico miscerentur, sic ab urbe recessisti,ut tecum modestia,probitas, religio recessisse uideretur .Atq; ego certe tantis in malis uoluptatem cœpi maximam, non modo quod publica illa calamitas te non corripuisset, sed etiam quod audirem passim omnes de tuo iudicio, deq; optimis tuis in Remp. sensibus præclare colloquentes. Tibi uero quid poterat euenire felicius , quam non uidisse illius urbis interitum , in qua tot annos, tanta cum laude floruisti.Cum tuis autem Carpenctoratensibus actum certe est felicissime, quod te fessum laboribus tanquam tutissimo in portu exceperunt , cuius monitis & exemplis ad religionem moresq, optimos inuitabuntur . Vtinam liceret & mihi istius otii particeps esse,quo tu beatissime frueris,at iter est hoc tẽpore impeditissimum terra mariq; redintegrato iam bello, & occupata passim tot classibus, toq; exercitibus italia. Quamobrem manebo in patria,donec sereniorem nobis uultum fortuna ostendat. Interea pergratum feceris , si dolorem nostrum tuis ad me literis & salubri aliquo consilio minues .Vale.

Hier.Niger Car. Crescentio Legato Pontificio.S.D.

ANtequam in prouinciam exires, respondi Santacrucii literis quibus me certiorem fecerat constitutũ tibi esse mea opera uti uelle, egiq; tibi ingentes gratias meis ad te literis,quod tu ea dignitate,sapientia & auctoritate uir haberes me eiusmodi,qui præstare quicquam possim , quod Reip. non inutile sit futurum Quanquam enim Gaspare Cõtareno Car. uita functo, cui in omni ferè publicarum rerum administratione fidelem operam impenderam, in hunc meum me nidu

dum recepissem, non illum quidem itacensem saxis affixum asperis,sed in ora Italiæ positum florentissima,tamen in omni uitæ meæ ratione&curriculo illud meum semper fuit proposi tum atq; institutum,ut me totum summi Dei permitterem uo luntati, nullumq; laborem aut periculum reformidarem,quod cum publica utilitate coniunctum fore uideretur. Neq; uero sum nescius quam exiguum sit illud,quod de me polliceri sibi quisquam posit,uerentamen imitabor Dyogenem philosophũ qui quum tumultuantem patriam uideret, suum & ipse dolio lum uersare cœpit,ratus sibi turpe esse, quum cæteri ciues,hac atq; illac circuncursarent, se unum ex omnibus conquiescere tuum est igitur statuere de me tanquam de tuo ære.Et Roberto Magio,qui has tibi literas reddet,explicare, quid me factu rum censeas, nam) quod ad me attinet) si cætera mihi defutu ra sunt,certe fides,& mea in te obseruantia non deerunt, nec dubito quin abs te ea uirtutis, ingenii & doctrinæ sim petitu rus exempla,quæ me promptiorem,& peritiorem, q̃ mea spon te sim,facile sint reddıtura.Vale.

Hier.Niger Petro Citadellæ. S. D.

ACcepto reconciliationis tuæ nuncio, pro uetere mea in te beneuolentia,uoluptatem cæpi maximam,̨quẽ enim dolebam deceptum fraude antiqui serpentis in tot miserias incidisse, aliquando tandem diuina ope subleuatum ac penè ab inferis reuocatum fuisse,magnopere sum lætatus,neq; uero hoc factum miraculo adscribendum putaui,non ignarus quan ta sit Dei Opt.Max.uis & potestas,cuius proprium est id effice re,quod humana mens ne cogitare quidem potest.Quid enim negotii fuit illi qui fundamenta montium commouet,qui cœlum incredibili celeritate conuertit, unam animulam, quam ipse creauit ex nihilo,& mobilitate obnoxiam fecit, ad se retraxisse,eamq; iisdem clementiæ suæ oculis respexisse, quibus Petrum Apostolum abnegantem respexit? Sed prædicãda à no bis ac perpetuis laudibus efferenda est ipsius Dei prouidentia,& benignitas erga nos,ꝙ hoc potissimum tempore, id factumsit,quo multi à pietate auersi homines in tua illa pertina

cia plurimum exultabant,'te Athletam fortisſimum, atq; inclytum Chriſti martyrem in puris uocibus. Appellantes, quiam ſenio confectus non bonorum publicatione, neq, diuturni carceris pedore, à Propoſito poſſes abduci. En tibi in habitaculo Carceris cœleſte lumen affulſit, ceciderunt cathenæ de manibus tuis, quibus te Princeps tenebrarum uinctum.& conſtrictū tenebat, ignorantia ſcilicet,& durities cordis, potes iam Petre cum Petro dicere, nunc ſcio uere, q̄ miſit Deus Angelum ſuum, qui eripuit me de faucibus orci, & ab omni impiorum hominum expectatione. Sed cum eodem Petro amare tibi flendum eſt, neq; te pudeat ore ſimul & corde, publice Palinodiam canere, ſic enim honorificum, & glorioſum ages de te ipſo triumphum, quum Chriſtianus redibis in patriam, a qua Chriſti hoſtis eiectis fueras, nec dubito fore, ut & cæteri ciues ius, ſi qui ſunt in eadem damnatione poſiti tuo exemplo, tuiſq; monitis reſipiſcant. Vale.

Hier. Niger Franciſco Capiliſtio Equiti. S.D.

VEreor, ne tibi hæc legenti id uſu ueniat, quod plerunq; hominibus graui quopiam uulnere ſauciis euenire ſolet qui medentis manum reformidant, neq; tam ipſius medicæ artis finem, q̄ principium perhorreſcunt, ſitenim neſcio quo pacto ut oppreſſis ægritudine animis, nihil interdum uideatur iucundius, q̄ in mœrore ipſo, cui nullum putant adhiberi poſſe remedium, permanere. Sed non ea propter noſtra hæc, quæ muſis ad nos ueluti poſtliminio reuerſis cecinimus, repudiare, ac reſpuere debes, quæ non tam conſolandi tui gratia, quam deplorandi tecum communem calamitatem conſcripſimus. Non enim ſtoicorum ſententiam ualde probo, qui humanos animos ab omni penitus exuunt humanitate, nihilq́; a Marmoreo ſigno differre ſapientem uerum cenſent. Ego in acerbiſſimis caſibus dolendum homini eſſe non negauerim, ſed dolori modum aliquem ponendum duxerim. Quod & Poetarum eminētiſſimus Maro eo carmine luculēter explicauit, quum de Enea ſuo cecinit. Mens immota manet lachrymæ uoluuntur inanes. Neq; nobis Chriſtianis hominibus interdictum eſt flere,& cū

gaudentibus gaudere, nec ipſe auctor ac princeps noſtræ religionis Chriſtus lachrymas in amici Lazari morte continuit, fortaſſe cogitans ad quas ille miſerias reſurgens foret rediturus. Quicquid igitur hoc eſt munuſculi, quod ad te, uel conſolandi tui uel tecum lachrymandi cauſa mitto, lubens accipe, ac perlege: ex quo ſi quid conſolationis percapies, habebis immortali Deo gratias, qui pater eſt totius conſolationis, ſi minus, meum ſaltem ſtudium, & beneuolentiam erga te meam, quæ tua eſt humanitas, non improbabis. Vale.

Hier. Niger Aloyſio Cornelio Card. S.D.

PAranti mihi dare ad te literas mœroris plenas ob patris tui Viri Clariſſimi interitum periucundus Cardinalatus tui ſuperuenit nuntius, qui me iacentem erexit, afflictumq; recreauit, non enim neſcis pro uetere inter nos neceſſitudine, plurimiſq; offitiis, quibus ego ab ineunte ætate Corneliæ familiæ ſum dauinctus exiſtimare me omnia tua commoda pariter & incommoda mihi eſſe communia. Quanquam autem pater eiuſmodi eſſet morbo confectus, ut nihil ferè aliud ex eo q̃ lingua occidiſſe uideatur. Tamen non leuem iacturam fuiſſe cenſeo patriæ, propinquis, amiciſq; omnibus uirum tali ingenio, tanta authoritate, ac beneficentia præditum interiiſſe. Cui ſi ualetudo affuiſſet, nemo eſt qui ambigat, illum maiorum ſuorum gloriam non modo æquaturum, ſed etiam ſuperaturum fuiſſet. Verum quando nihil iam nobis præter expectationem contigit, Atque ille miſerrimam uitam cum immortalitate cõmutauit, æquo animo ferendum eſt, quicquid euenit, habendæq; ſunt immortali Deo immortales gratiæ, ꝙ ampliſſimus ille uir concordes filios, uirtute, fortunis, honoribuſq; inſignes reliquerit, qui maiorum imagines per ſe claras, præclare factis illuſtriores reddent. Velim enim exiſtimes dignitatem iſtam ampliſſimam, qua nuper auctus es, nihil aliud eſſe q̃ curriculũ exercendæ uirtutis, duoq; inprimis tanq̃ bona fidei tuæ commiſſa tibi eſſe curanda, alterum ut pietatem colas, quæ ordini tuo conſentanea eſt uirtus, alterum ut in amicos, proboſq; homines beneficus exiſtas, hoc enim ueluti alarum remigio uehe

ris in cœlum, sed fortasse nimis inepte facio, qui te ad uirtutē cohortter, natura, studioq; propensissimum. Da quæso hoc amori, atq; obseruantiæ in te meæ, ut quam tibi operam nunc præsens præstare nequeo, eam qua possum ratione præstem; donec opportuniore tempore (quod uehementer opto) id faciam coram: atq; honori tuo, ut debeo, diligenter inseruiam. Vale.

 Hier. Niger Paulo Rhamnusio. S.D.

MItto ad te Pauli Iouii ad Pont. Max. Epistolam ridiculam & planè Iouianam, quæ in fronte grauitatem præseferens, paulo post in scurrilitatem & assentationem labitur, hanc ubi per otium legeris, ad me remitte. Quæ istic proximis Comitiis acta sunt nulla cum admiratione accepi, probo enī noui æstus comitiorum, & quid ualeat ambitus. At in ea re patris tui uiri ornatissimi singularem prudentiam, & summam animi moderationem optimus quisq; uir summopere probauit, quem enim locum ipse nunq̃ studiosius appetiuit, & quo maxime omnium bonorum iudicio dignus est habitus, eum non tenere, leue ad modum est detrimentum, fortasse etiam lucrum. Tu (quod facis) eloquentiæ studiis incumbe, maiorem enim ex his gloriam, q̃ ex istiusmodi muneribus familiæ tuæ comparabis. Lazarus Bonamicus Elegiam in obitu Nicolai Genuæ Marci antonii Philosophi filii nuper conscripsit, eam quamprimum in manus meas peruenerit, ad te mittam. Anguillarius nescio quis Poeta Plebeius, exeunte februario mense proximo fabulam daturus est populo Patauino, tota (ut audio) ethrusca est, Apparatus fit maximus in ædibus Aloysii Cornelii, si libuerit quaternas horas perdere, huc accedito. Vale, parentiq; tuo, & Rapitio, meis uerbis dic multam salutem.

Hier. Niger Paulo Rhamnusio. S.D.

PErlegi nuncupatoriam Epistolam in nouam librorum Auerrois editionem quæ quanq̃ fortasse lōgior est q̃ res ipsa postularet, adeo tamen doctrinæ, & elegantiæ plena est, ut legenti minime fastidium pareat. Eius quidem authori (qui-

cunq; ille fuerit)iunta plurimum debet, q qui eam legent praeclarè eum descriptoribus, tum graecis, tum Arabibus iudicasse intelligent, cupiebam sanè dum Venetiis essem te alloqui, sed per ualetudinem tuam, measq; occupationes non licuit. Erit mihi quam gratissimum, si ex te cognouero, an rectè habeas, quemadmodum spero, & opto, quo die Patauium adnauigabam, obuium habui Paulum Sadoletum Episcopum Carpentoracte, Iacobi Cardinalis nepotem nuper ex Gallia Narbonensi à Pont. Max. in locum Romuli Amasei honorificentissimis literis accersitum, qui quum me Patauii non inuenisset, audissetq; eo die aduenturum magna usus est in me conueniendo humanitate ac diligentia. Itaq; in medio itinere conuenimus summa cum utriusq; nostrum uoluptate. Agitur enim iam annus decimus quintus ex quo alter alterum non uidit, is mecũ egit pluribus, ut sibi pollicerer me Romam aditurũ, cuius quidem rei nulla me hactenus, uel spes, uel cogitatio tenet, suadet enim aetas mea iam ad occasum uergens, ac temporum atque urbis Romae conditio uela mihi potius contrahenda quam rursum uentis, & tempestatibus committenda. Sed quum Dei altissimi nutu regantur omnia, qui potest quum uelit, & quocunque uelit animos nostros, & uoluntates inflectere, non audeo de me quicquam certi statuere, illius me potestati arbitrioq; permittam, interea, me libris, & literulis nostris inuoluam, quibus quod reliquum temporis mihi dabitur libẽter impendã. Iulii non Pontificis Maximi iudicium in hoc homine deligẽdo, atque honestando non possum non summopere probare. Solet enim quotiescunq; in sermonem incido de Leone decimo Pont. Max. illud frequenter usurpare, ex oĩbus rebus quas ille Pontificatu suo gessit amplissimas nullam maiore laude, ac praedicatione dignam extitisse, q̃ q Petrum Bembum, & Iacobum Sadoletum duo illa eloquentia lumina sibi à secretis adsciuerit; fuere enim (quod scis) uiri eiusmodi, qui uel obscurissimi cuiusq; principatus tenebras uirtutum suarum splendore depellere potuissent. Vale & Rapitio nostro, ac parenti tuo uiris optimis, atq; ornatissimis dic salutem.

Hier.

Hier.Niger Antonio Thebaldeo.S.

COgnoui ex tuis literis,quas proxime accepi, te probare discessum meum ab eis,qui mecum antea ab officio discesserant,lætorq; mirifice, tali patrono,ac iudice, qualis ipse es,causam meam cognosci,atq; defendi, Quod autem scribis mirari te consilium meum,ꝙ relictis philosophiæ umbraculis in clamosum forum transfugerim, meumq; omne studium ad scientiam legum conuerterim,id a me non inconsulto, neque perperam factum uelim intelligas. Ego,antoni,philosophiam nunq̃ a me post habendam censui,nec censeo. Sed Pontificii Iuris scientiam eiusmodi esse opinor,quæ cum homines nostri ordinis maxime deceat,tum philosophiæ,& eloquentiæ adminiculo potius sit q̃ impedimento.Nullum est enim disciplinæ genus alienum a philosophia,præsertim id,quod ad leges &instituta maiorum pertinet, Quoniam turpe esse arbitror unicuique homini, nedum philosopho ignorare quibus legibus sit uiuendum neq; uelim existimes id genus studii ac disciplinæ,usq; adeo me totum occupaturum, ut suam partem cæteris non impertiam.Est enim iuris sciētia,parui negotii res, & quæ paucis contineatur,modo cum frugalitate,prudentiaq; tractetur,atq; imprimis non ad questum, sed ad communem hominum utilitatem,ad quam initio instituta est,dirigatur. Nam eorum qui primi leges condiderunt,non id propositum fuit, ut lites ex litibus sererentur,sed ut paci & quieti publicæ consuleretur.At postquam in animos iurisconsultorum paulatim irrepsit auaritia posthabita legum puritate & planitie, omnia questiunculis inuolui & implicari cœpta sunt.Hinc uariæ atq; interdum contrariæ inuicem fluxere legum interpretationes, hinc immensa scriptorum uolumina,in omni re uel apertissima tenebras offundentium, ut ignara plebs eos ueluti oracula consuleret ac ueneraretur.Sæuiit autem hæc lues non modo in legum disciplinam, sed in ipsam etiam philosophiam, quæ(quod scis)iamdiu polluta barbarie nihil ferè pristinæ maiestatis agnoscebat. Etenim memini me audire philosophos Aristotele sine Aristotele Profitentes, ac nonnullorum commēta prælegentes,qui omnia suis ineptiis referserunt. At nostra

ætate beneficio græcarum literarum,quæ longo interuallo re stitutæ sunt pristinam in sedem restitui cœpit philosophia. At que illi ipsi ueterum philosophorum contemptorum,qui antea in scholis uerbum nullum nisi incultum & barbarum agnosce bant,modo Aristotelem sua lingua scribentem, græcosq; inter pretes lectitare non perhorrescunt. Vt sperandum sit pace Italiæ constituta breui suum ornatum ac nitorem recuperaturam philosophiam. Quod & nos ut legum disciplinæ ac studiis huiusmodi usu ueniat,adniti possumus ac debemus,quod primus omnium post ueteres iurisconsultos legum conditores,fœliciter assequutus est Andreas Alciatus iurisperetorum nostræ ætatis Eloquentissimus,ac Eloquentium Iuris peritissimus scripsi, ad te fortasse pluribus quam necesse fuerat de ratione studiorum meorum partim ut mirari iam desinas consilium meum, partim uero ut si forte in uituperatores meos incideris, para tam habeas propositi mei defensionem,quæ hoc erit paratior, quo magis constabit me ad hæc studia non desperatione quadam eloquentiæ,quam assequi nequiuerim , sed certo iudicio deuenisse,nec illud mihi iure obiici posse auledum me esse factum,qui Citharedus fieri non potuerim. Vale.

Hier.Niger Alexandro Campegio Card.S.D.

Efflagitatam ab amicis orationem, quam proximo superiore anno in Lazari Bonamici funere habueram , ad te mitto Campegie Clariss. cui enim potius dicandus fuerat meus hic labor,qualiscunque fuerit,quam tibi? qui a Lazaro tam liberaliter institutus illius tum probitatis,tum doctrinæ locupletissimum affers testimonium. Ille quoque uicissim, dum uiueret,tibi imprimis post immortalem Deum,& familiæ tuæ se rebat acceptum , quicquid ad hominum usum in re literaria contulisset,quod sanè quantum fuerit , uel ultimi terrarum finis. & Patauini huiusce Gymnasii lachrymæ testatæ sunt,cuius ille humeris,certatim subeuntibus discipulis honorificentissime est elatus. In quo ego non satis possum quorundam maleuolorum hominum impudentiam demirari,qui Lazaro uitio uertunt,nullum enim reliquisse posteris ingenii & eruditionis suæ

monumentum,quasi uero non præclarum, atque eximium sit monumentum,quinquaginta annos latinam,græcamq; eloquẽtiam cum priuatim,tum publice summa cum omnium gentiũ admiratione docuisse. q̃ si in ea re Lazarum carpunt, Carpant etiam necesse est Socratem, Pitagoram, Thaletem, & innumerabiles fermè alios omnium iudicio sapientissimos habitos, qui arcana sapientiæ suæ mandare literis neglexerunt, solebat sæpe mecum Lazarus queri nostrorum temporum calamitatẽ, quum uideret complures homines magis occupatos in suis cõscribendis nugis,q̃ in ueterum libris euoluendis, a quibus omnis doctrina & eloquentia defluxit. Vsque adeo ineptam esse duxit omnem scriptionem, quæ non esset necessaria, aut quæ manifestum posteris utilitatem non afferret. Sed in hanc pestẽ humani generis, atq; in hoc insanabile scriptitandi cacoethæ erit fortasse alius inuehendi locus. Tu nunc oratione hanc accipe habitam quidem a me officii potius q̃ dicendi studio, quod iampridem intermisi a concione uero uniuersa,qua nulla unq̃ fuit in hac ciuitate frequentior, sic exceptam, ut fuerit ferè nemo,quin iudicarit me minus Lazaro tribuisse,quam illi tribuendum fore uideretur. Vale.

Hier. Niger Iacobo Rufino. S. D.

PAulus Rhamnusius iuuenis sanè & probus, & eruditus; quo te familiariter uti uehemẽter gaudeo,misit ad me paruum poema tuum de infelicissimi Bartholomei Heliæ obitu, ex cuius quidem carminis lectione(ut agam tecum libere, sicuti meus est mos)admirationem cœpi maximam. Cuius enim hominis musas iampridem exaruisse,& forensi strepitu procul fugatas existimabam,eas nunc reuirescere,ac in tuo sinu molliter placidiq; recumbere animaduerto;Adeo Virgiliana grauitate rem ipsam miserabilem ponis ante oculos,& affectus illos tragicos miris modis commoues,ut nihil præterea possit excogitari pictius.Quamobrem pro uetere nostra necessitudine, nihil mihi fuit potius,quam ut tibi quamprimum gratularer, spero enim fore,ut si quando in causis perduellionis aut capitis easdem faces orationis admoueas,facile possis iudicum a-

nimos uel ad misericordiam inflectere,uel ad iracundiam cō-citare.Siquidem (ut scis) iidem sunt loci poetis & oratoribus communes,atque uno eo differunt,ꝙ poetæ grandioribus uerbis,crebrioribus translationibus,presſioribus utnntur sententiis,quam oratores,eritq; hæc tibi prouincia leuior,quum facilius sit contracta diffundere,q̄ diffusa contrahere, ac demittere sese,q̄ attollere, idcirco multos legimus oratores Clarissimos non eximiam in poesi laudem fuisse consequutos, ac summum Philosophum Platonem, quum homericam Maiestatem assequi non potuisset, ad conscribendos dialogos se transtulisse.Itaq; te hortor ac si pateris rogo, ut in hanc rem omni studio incumbas, nomenq; tuum commendes immortalitati.Mihi certe nihil hoc facere potes gratius,aut iucundius, qui sub mea disciplina olim dum Romæ essemus,te exercueris. Videborq; maximum laboris mei fructum capere, si in hoc scribendi genere cum ipsa antiquitate certabis.Vale.

Hier.Niger Paulo Ramnusio. S.D.

IOnitam Rhetorem præceptorem tuum summa probitate & excellēti doctrina uirum diem obiisse plurimum doleo, sed hunc abs te laudatum fuisse in funere, uehementer gaudeo. Munus enim obiisse grato discipulo dignum, & ut arbitror illius meritis non impar.Puto extare apud te quicquid ille monumentis literarum mandauit,quod si ita castigatum est, ut editione dignum uideatur, tuum erit, curare ut quamprimum prodeat in lucem,pergratum mihi feceris, si laudationem istā tuam ad me miseris,quod,ut tuo commodo facias, peto abs te maiorem in modum,uix a morte Fracastorii respirauerámus, quum aliud nobis illatum est uulnus,ProhDeum immortalem, Quibus est orbata luminibus res literaria. Nam de Egnatio nasutissimo homine non est,ꝙ ipsi nos ualde excruciemus,erat enim adeo intentus curando corpori,ut cætera omnia negligeret,uidereturq; iamdiu,e uita excessisse. Dolendum tamen est ex illius obitu,quemadmodum in Bucephali equi morte doluit Alexander Rex,urbe etiam condita in illius monumentū. Tu si quid habes noui ex Fracastorii carminibus, uelim ad me

mittas,nescio an inchoatam Iosephi historiam perfecerit, materiam summo Vate dignam,quæ præter asperitatem hebraicorum nominum,tota est pulcherrima,nec unquam possum eam, q̃q̃ a sacris scriptoribus barbari scriptam sine lachrymis legere. Quos putem concitasse affectus Quam admirationem commouisse Fracastorium,sua illa Virgiliana grauitate, qua nihil ætas nostra uidit illustrius. Vale & Paulo Manutio meis uerbis dic salutem.

Hier.Niger Ioanni antonio Salcio. S. D.

PEriucundæ mihi fuerunt literæ tuæ,quibus pro acceptis à me beneficiis agis mihi gratias,non ꝙ in gloriola ista situm esse putem fructum omnem offitii & beneficentiæ, sed ꝙ candorem animi tui probarim,perspexerimq; ex epistolæ tuæ lectione maiorem te in dies scribendi copiam comparare. Nulla enim re mihi uberius in offitio respondebis, q̃ si uirtutem colueris,atque in literarum studiis ita enitueris,ut mea necessitudine,& maioribus offitiis dignus uideare. Quamq̃ autem multi a me adiuti opibus,& muneribus honestati, parum sese mihi gratos præstiterunt,ii tamen nunquam perficient,ut meorum me offitiorum pœniteat. Habemus liberalissimum retributorem omnium beneficiorum Deum Opt.Max.In quem unũ nostra omnia studia atque offitia referenda sunt. Qui uero in eorum gratitudine,in quos collata sunt beneficia, spem suam collocant,hii iam mercedem suam fluxam quidem & labilem acceperunt,æternam autem,atque infinitam illam,quam Deus benemerentibus præstat,nunquam accipient. Ego sanè ad bene de te merendum nulla fui ratione alia impulsus, q̃ beneficentiæ studio,ut mea ope subleuatus uirtutem & bonas literas cõmodius amplecti posses, id si (quemadmodum opto & spero) effeceris,satis amplum,atque uberem offitiorum meorum fructum uidebor consequutus. Sin secus fiet,(quod mihi ipse nunquam persuadeo.) Omnis honos,qui nunc tibi delatus est,uertetur in dedecus, ego fructum ueræ laudis non amittam. Vale.

Hier. Niger Bernardino Tomitano. S. D.

ET si non dubitabam amare me abs te plurimum multis de causis præsertim quod intelligeres te quoq; à me uehementer diligi, tamen nullum clarius tui in me amoris iudicium sese ostendere potuit, eo quod extare uisum est tuis in literis hesterno die mihi redditis, quibus primum gratularis impositum mihi fuisse ab optimo, atq; ornatissimo uiro Vicetinorum Pontifice onus illius locum personamq; substinendi, sic enim malo dicere, quam munus. Deinde me ad illud forti, alacriq; animo subeundum grauissimis amantissimisq; uerbis cohortaris. Quod ad gratulationis offitium pertinet, sanè mihi multo plus tribuis, quam ipse uel agnoscam uel sentiam, ac uereor ne dolendum sit potius quod ex hoc portu fidaq; statione, quam mihi certo iudicio delegeram, rursus uaseum in pelagus extrudar, tot undiq; circunfrementibus uentis, fluctibusq; iactandus. Nosti in quam perdita profligataq; inciderimus tempora, nec ignoras qua in ciuitate gerendus mihi sit magistratus, in quo si amicis qualis tu es, qui cuncta meliorem in partem interpretari solent, nullo negotio satisfacere possumus, at alienis, & inuidis, quorum per magna est copia, satisfacere omnino est difficillimum. Quid quod ex hoc honestissimo otio, in quo præclara studia repetens, fructum aliquem uigiliarum mearum proferre aliquando possem, turbulentis me actionibus iterum dedam hac ætate iam in occasum uergente, in qua nihil magis, quam tranquillitas animi, & requies corporis expetenda esse uidebatur, nec defuturos arbitror malignos interpretes, qui me uel quæstus cupiditate, uel ambitione adductum suscepisse id oneris dictitent, quasi uero iampridem hæc omnia Romæ agens in theatro illo gloriæ, & ambitionis campo, litterato otio non posthabuerim, nec me unquam commouit, quod reuersus in patriam audierim multos, qui neq; industria, neq; dignitate, aut gratia me præteribant, ad honores amplissimos fuisse per uectos, quin eorum conditionem sum miseratus, qui in cogendis opibus, quibus nunquam fruantur, se ipsos excruciant. Sed aduersus hæc omnia incommoda atq; pericula, & contra istam maledicorum hominum rabiem per-

ftabit ftudium meum iuuandæ Reip. fi quid conferre ad publicam utilitatem poterit meus labor, cui fpero diuinum numen minime defuturum fine quo omnis noftra eft inanis cogitatio. Nam fi priuatis noftris commodis interdum afpirat diuina bonitas,quanto magis fauebit caufæ publicæ, quam fi forte deferet fubirata fceleribus noftris ipfi culpandi erimus, non illa.Quod in poftrema literarum tuarum particula amanter me fapienterq; mones, ut in obeundo hoc magiftratu uotis,expectationiq; amicorum refpondere adnitar,agnofco ueterem tuam in me beneuolentiam neq; is fum, qui monitore non egere me credam, præfertim,beneuolo & prudente, quo in albo te præcipuum ftatuo.Quamobrem dabo operam, quã tum meæ mihi fuppetent uires ut expectationem hominum,fi quam modo concitaris, exiftimum ftimulum exercendæ uirtutis,& curriculum ueræ laudis, quam non in opinione uulgi, fed in Dei omnipotentis iudicio fitam putem. Et quando tu in me hortando ac monendo, tam gratum amici offitium pftitifti,id quoq; uelim pftes,ut tuis pcibus apud Deum ipfum me adiuues,quas non dubito a tam pia mente perfectas plurimum ponderis habituras. Vale.

Hier. Niger L.Granio Signinorum Epo. S.

QVas ad me proxime dedifti literas, eæ mihi quamprimum funt redditæ, quanquam autem ferius fortaffe quam tua dignitas poftulaffet refpondeo,tamen quæ tua eft humanitas,mihi ignofcas uelim, fui enim occupatisfimus, dum ea conficere uellem,quorum caufa huc ueneram,nec erat quicquam tua cognitione dignum,quod fcriberem,modo confectare, quæ ad rationem ftudiorum meorum pertinebat, propediẽ me in uiam daturus fum,patauiiq; commoraturus, donec aut alii de me quicquam,aut ego de me ipfo decernam, quod utinam fit utile non tam ad fortunarum augendam copiam, quarum nullum me iam defiderim tenet,quàm ad uitæ incolumitatem feruandam, atq; ad animi fœlicitatem comparandam, cuius ftudio imprimis teneri nos Chriftiani homines debemus.Etenim fi memoria repetimus tot fortunæ ludibria, quot

ab ineunte ætate cum alibi uidimus,tum in urbe.Roma, quæ tibi natura,mihi uero amore , & uoluntate est patria fatebimur eos tota aberrare uia,qui in humanis rebus atq; in principum uirorum fauore &gratia suam spem sitam habent atq; ego meo doctus periculo& damno ex præteritis erroribus facile intelligo,quanto honestius ac felicius mecum actum fuisset, si ab eo curriculo uere laudis , quod tum adolescens instieram ad contubernia ingratissimorum hominum non deflexissem.Magnas tamen atq; ingentęis habeo gratias Romano illi cœlo,& urbi omnium disciplinarum eloquentiæq; parenti, cuius me dignitas nun solum ob ueteris maiestatis memoriã, uerum etiam propter Clarissimorum hominum tunc uiuentium uirtutes ueneranda inuitauit ad sese,& annos ferè uiginti detinuit non inuitum . Erant enim eiusmodi tempora quibus in illa colluuione gentium quasi stellæ interlucebant com plures comitate,doctrina,liberalitate insignes uiri, quos cum omnes perbelle ipse agnoueris,minime opus est ut recenseam. Sed eorum pleriq; aut fato functi sunt,aut percussi urbanis calamitatibus in patriam se se receperunt.Quo fit,'ut quod urbe caream,minus graue mihi molestumve sit, otium autem, quo perfruor,multo iucundius uideatur . Neq; uero meorum ipse commodorum tanta afficior uoluptate,ut si cui unquam uidebor parte aliqua reipublicæ inseruire posse, ullum ego laborẽ sim deuitaturus,modo cum dignitate id fieri possit, quod eorum iudicio,qui sedent ad gubernacula reip.penitus relinquo. Te uero,grani,etiam atq; etiam rogo,ut necessitudinis nostræ sis memor,quam optimis ortam seminibus,fructus quoq; ferre optimos decet.Nullus autem iucũdior est amicitiæ fructus, quam beneuolentia ipsa,&amicorum absentium perpetua memoria,præsentiumq; consuetudo,nam prodesse alteri cum possumus,id facere debemus,etiam si minus amici simus, Vale.

Reuerendissimo & Illustrissimo D.Carolo Carraphæ Cardinali,Philippus Donatus Episcopus Agien.S.

EDiturus libellum Hieronymi Donati Patris mei de principatu Romanæ sedis ,recte mihi uisus sum facere , si eum

tuo

tuo imprimis nomine insignitum publicarem,cui enim magis quàm tibi debebatur is liber? quẽ; Author ipse Oliuerio Caraphæ Car.propinquo tuo,Viro amplissimo destinarat,illiusq; censuræ commiserat,& in quo Romani Pontificis authoritas, (cuius tu lateri assistis,)egregiè defenditur.Quanquàm enim aduersus recentiores græcos hæc à Patre est scripta defensio , nihilominus aduersus cæteras nationes,quæ postea in eundem errorem,seu potius in eandem impietatem lapsæ sunt, plurimum nobis affert adiumenti , cùm constet ueteres Græcos,doctrina,& sanctitate Vitæ conspicuos,hunc honorem præ cæteris Romano Pontifici concessisse . Nec dubium mihi est ex hoc uno fonte tot in his, quæ ad Religionem pertinent, manasse controuersias nam cum primùm homines rebus nouis studentes; à Capite desciuere,cœpit sibi quisq; nouas Leges statuere, ueteres abrogare,atq; adeò perturbata, & confusa sunt omnia, ut magnum negotium Paulo quarto Pont. Max. patruo tuo relictum sit labescentẽ Remp. in pristinam formam restituere, quod tamen illum assidue cogitare,& conari credimus, & ad hæc miserrima tempora quasi Sagittam in Pharetra à Deo Opt.Max. fuisse reseruatum.Quòd ad libellum attinet,pergratum mihi feceris,si nactus opportunum tempus,eum quoq; Sãctissimo Pontifici legendum tua manu dederis , cui si liber probabitur,non dubito,quin is cum magna authoris laude prodire in lucem possit.Vale.

De Immortalitate Animæ.

EFficax quippè ratio ad persuadendum Animorum immortalitatem hinc sumi potest cum à prima Mente, quæ Deus est per Simplicem Emanationem (ut Philosophis placuit)uel per creationem(ut Christiana ueritas tradit) cœleste quoddam etiam diuinum Animal processerit ex supra mũdanis substantiis & cœlestibus globis conflatum , quod Physici quintam appellarunt Essentiam, neq; secundũ Formam , neq; secũdum Materiam internitioni obnoxiam. Parte uero altera ex eandem suprema Mente alterum processerit Animal, quod tam secundum Materiam quàm secundum Formam corruptio-

ni est obnoxium. Mundus scilicet iste inferior & sub lunaris ex Elementis, Brutis animantibus, plantis omniq; mixtorum genere corruptibilium cõstans, quæ dubio procul. tam ex Formæ quam materiæ ratione corrumpi uidemus Cumq; homo ipse Orizom sit superiorum & inferiorum omnium, ac nexus, & uinculum cœlestium terrestriumq; rerum, necesse est, ut utriusquæ naturæ sit particeps, In his enim quæ secundum essentiam ordinata sunt, ab extremo ad extremum, sine medio non proceditur, medium autem semper extremorum naturæ est particeps, quod enim fuscum est, partim album est partim nigrum Necesse igitur fuit, ut ab eadem Diuina Mente Animal unum prodierit quod parte altera æternum esset secundum Formã, altera uero secundum Materiam corruptioni esset obnoxium huiusmodi Animal aliud esse nõ potest quàm homo, quando in confesso est atq; apud omnes gentes indubitatum, cætera animantia quæ sub cœlo sunt, omni ex parte corruptibilia esse, nam si quis uelit brutorum animantium quorundã formas esse incorruptibiles, Absurdum nimis assereret, si quidem eas ex Materiæ sinu elici non dubium est, quod si cui earum æternitatem quis tribuat, quum intelligendi ui careant, cur non id potius humanis Animis tribuat, quas intelligendi uim habere, nemo est qui non fateatur. Hinc. Poeta ille summus Mosem, immitatus cum cæterorum animalium ratione carentium creatione ab opifice Mundi Deo descripsisset, præclare addidit.

, Sanctius his Animal Mentisq; capatius altæ
, Deerat adhuc, & quod dominari in cætera posset,

Quod autem Homo Orizõ sit & nexus cœlestium terrestriumq; rerum, Philosophi omnes consentiunt, & apertissimis constat rationibus. Ipse nãmq; sũmo ut Aristoteli placuit, quodammodo est omnia, per sensum enim est omne sensile, per intellectũ omne intelligibile, ipseq; humanus Aius postrema supramundanarum formarum inter cælestes intelligentias, & materiales formas ueluti in interstitio positus, utrarumq; formarum participat naturam, nam cum inferioribus formis in eo communicat, quod informat corpus generabile quidem ac corruptibile. Cum superioribus autem & supramundanis formis in eo

communicat,quod eternus eſt, proinde & inferiora intelligit, & ad ſuperiora reflectitur, eaq; quandiu corpori eſt alligatus ex ipſis inferioribus intelligit atq; cognoſcit, cum autem cor poris uinculis ſolutus fuerit ac liber,ſuapte ui ſuperiora cogno ſcet,atq; intelliget,non alia ratione quam ultra Mundanæ ſub ſtantiæ cœleſtium motrices orbium intelligant& cognoſcant. Hinc uates ille Regius Dauid cecinit de homine,minuiſti eum Paulominus ab Angelis proptrea quod humanus Animus quã quam corpus in formæt corruptibile, ipſe tamen diuina boni-tate eſt æternus,& ſi cœleſte corpus quod ab Angelo mouetur incorruptibile eſt,atq; ea ratione humano orbe præſtantius,ha bet et humanum corpus ſupra cætera animata corpora, præ-ſtantiã ſingularem, ut poteſtates uireſq; omnes in cæteris tam inanimis quam animatis rebus diſperſas, in ſe uno colligat,cõ tineatq; &præter id intelligendi uim habeat cum cœleſtibus formis communem, ut non immerito paruus mundus homo nuncupetur.Hanc autem ſupremam in rebus inferioribus, dignitatem atq; excellentiam tunc demum homo uere obtinet, cum creatorem agnoſcit ſuum,a quo tot ornamenta gratuito accepit.Cui niſi hæc omnia ferat accepta, & niſi in eo contem plando,&fruendo omnem felicitatem ſuam arbitretur, tali honore indignum ſe reddit. quin etiam dignum ut cum Prin cipe ſuperbiæ ſathana in tartarum detrudatur ſempiternis ſup pliciis affligendus.

Hieronimus Niger . . . . S.

CLariſſime & doctiſſime uir legi poema iſtius adoleſcentis quod ad me miſiſti&ſi quid poſſum præſertim nunc tot ſupplicibus libelis ac diplomatibus inuolutus, de eo ſtudiorum genere iampridem mihi deſueto iudicare,auctoris in dolem ualde probo,mirorq; in tanta rerum ac temporum per turbatione, qua iamdiu miſerima hæc prouincia præmitur, non hinc ad Garamantas& Indos fugatas fuiſſe Muſas compertum habeo, quemadmodum ſcribis, Tuã operam non de eſſe his ſtudiis, nec moderationem defuiſſe incontrouerſiis pu blicis ueriſſimũq; arbitror eſſe Menelai oraculum apud Eu-

tipidem,quod citas,sed, paucisſimos uideo qui Chriſtianæ Ecclesiæ propè cadenti manum apponant, multos qui ruinæ incumbant diuerſa ratione,alii palam alii percurriculos,Orandus eſt Deus, ut aliquando nos oculo miſericordiæ ſuæ reſpiciat:Cras ad te ueniã ſi per occupationes licebit,ne inſalutati abeamus uelim tamen tibi perſuadeas me tui abſentis memoriam ubicumq; fuero diligentisſime ſeruaturum.Vale.

Ad Principes Chriſtianos Concilii Bononienſis Apologia, Hier.Nigro auctore.

SI quis ueſtrum,Principes,forte miratur, nos qui decreto Põtificis Maximi,ueſtroq; omnium conſenſu Tridentum conueneramus,pro pace Eccleſiæ reſtituenda, corruptiſq; morib. reformandis concilium celebraturi,ſubito nunc Bononiam cõmigraſſe,is profectò mirari deſinet,ubi ſincero animo rem perpẽderit,æquũq; iudicẽ,ſeſe nr̃i cõſilii atq; inſtituti cõſtituerit; Non enim dubium nobis eſt extitiſſe nonnullos partim ignoratione rerum ductos, partim odio in nos ac libidine aliena inuadendi incitatos, qui hoſce rumores ſparſerint,in uulgus, nunquam Pontifici maximo,nunquam nobis hoc fuiſſe propoſitum,ut uerum ac liberum concilium haberetur, ſed contentos hoc nomine at fama uelle nos inTiranide noſtra perſiſtere, idcirco uix dum inchoato concilio ſedem commutaſſe,iterũq; ac tertio mutaturos,ut ſuborta aliquando inter uos diſcordia, nulla noſtra manifeſta culpa comitia ſoluantur.Conſediſſe autem nos in ea Vrbe in qua nemini liceat niſi in gratiam Romani Pontificis uel ſyllabam pronuntiare,atq; hoc loco nihil aliud nos decreuiſſe,quod ad publicam cauſam pertineat, ſed uanis conſultationibus tempus terere, ſpem ponentes in commutatione rerum, quæ eodem ueſtigio diutius conſiſtere non poſſunt.Quonam conſilio Paulus Tertius Pontifex Maximus Concilium indixerit,neq; noſtrum eſt præſcrutari,neque exploratum habere poſſumus,Dei Optimi Maximi ſit hoc iudiciũ, qui ſolus intimos Animorum receſſus,ac latebras inuiſibilis perluſtrat,illud certe affirmare poſſumus uoluntatis eius atq; Animi in hanc rem incenſi nullam ſignificationem nullum iudi-

cium non apparuisse. Cui, si auersari concilium uoluisset, neque ingenium neq; occasio fuerat defutura. Constat sanè (ne altius exordiamur) Anno ab hinc septimo Ratisponensis', comitiis fuisse conuentum cōtrouersias in Religione exhorta non alia q̃ concilii auctoritate dirimi posse, Locumq; idoneum habitū Tridentum urbem Germaniæ, Italiæq; finitimam, qua re nuntiata Pontifici maximo confestim ille est assensus rebus uestris, ut potuit per indutias compositis concilium inducit nos ad certum diem adesse mandauit, omniq; studio incubuit, ut ea conficerentur quæ at tollendas discordias ordinandam remp. pertinerent, De nostra autem uoluntate ac studio quis ambigat? quando nihil est quod nostrum quispiam ardentius unquam exoptarit, quam dignitatem nostram collapsam ac pessundatam concilii auctoritate restitui. Longe enim errant qui opinantur plurimum de nostra auctoritate detrahi posse concilii censura, cum ipsa morum reformatio multo plus ornamẽti & commodi quam detrimenti & iacturæ nostro ordini allatura esse uideatur, itaq; missi sunt a Romano Pontefice Legati eximia uirtute uiri, qui concilio præessent, sequentes conuenimus, nullis laboribus, nullis impensis pepercimus quominus in angusto loco & non satis salubri publicam causam ageremus, sed cursus actionum nostrarum multis de causis est retardatus, primum fefellit nos diuturna expectatio aduersariorum quorum neminem uidimus unquam, in quo illi, peruicatiam simul inconstantiam suam patefecerunt. Eam enim laruam, qua Romanos Pontifices perferre facies consueuerant, ipsi refugere ac pertimescere uisi sunt, & quam sacram anchoram unicā spem in tam sæua tempestate superesse nobis, toties prædicare eam ipsi repudiarunt atq; abiecerunt, nunc locum minime tutum esse quem nondum uiderant & quem primi ipsi nominauerant, hunc omnibus passim christianis hominibus licere de causa religionis cognoscere palàm dictitantes: postea uero quā animaduertimus frustra nos eorum aduentum præstolari, aggressos communem causam ficta quotundam pietas nos remorari cæpit, suadentium nobis non esse alienum a concordia mitius decernere in aduersarios iudicia nostra suspendere, ad euentum Germanici Belli cuius finem ac uictoriam, nonnulli

magis appetebant concilium ; Cumq; primum caput esset, Religionis causam cognoscere, cuius gratia in primis côuene ramus; Non defuere qui deprauatos mores prius corrigendos fore dicerent aliud uoluentes animo, quàm id, quod initio ꝓpositum fuerat, interea nuntiato aduentu Duces VVirtebergẽtium aut ualida atque infensa Germanorum manu inuasit nos trepidatio & pauor haud ignaros gentem illam immanem & efferam sitire sanguinem nostrum ,nihilosecius Tridenti esse multos, qui idem appeterent. Statuerat sibi quisq; nostrum fuga consulere, eo tamen Animo, ut si tempestas illa sese compo suisset, ad institutum opus reuerteremur. Quid enim aliud faceremus nudati omnibus præsidiis, circunuenti insidiis, crude lissimo hoste penè oppressi ? Sed nobis iam fugæ accintis illata est uis, à quibus propulsari debuisset. Nemo fuit nauta, qui nos secundo Athesi fugere uolentes ratibus exciperet, Nemo stabularius, qui uel magna mercede iumenta nobis locare uellet, quod nisi diuino beneficio furor ille barbaricus resedisset, proh Deum immortalem quæ cedes nostrum omniũ, qui cruoris nostri gurgites emanassent? Consecuta est demum tua Cæsar uictoria non sine ope Romani Pontificis. Nam si ex illius copiis parum auxilii fuisse quis dixerit, nemo tamen christianus negauerit uota precesq; publicè indictas plurimum ualuisse , receptæ in potestatem quamplurimæ urbes, dediti principes ad uersariorum & (quod maxime fuit optandum) sine cæde & san guine id factum. Sperabamus uictoriam illam tam optatam tã incruentam, pacem publicam & omnium controuersiarum finem parituram, decretæ supplicationes , ingenti omnes lætitia perfusi fuimus. At longè aliter processit res, q̃ opinabamur. Etenim duriora in dies nobis nuntiari cæpta , præscribebantur leges tradebatur noua formula tractandarum rerum , minæ quotidie nobis incutiebantur ab iis qui apud uictores. auctoritate & gratia plurimum posse uidebantur . Quis non uidebat eripi iam concilio libertatem ab iis qui eam tueri ac protegire debuissent ?Quis ignorabat eos qui rebus dubiis tam, acerbi fuerant in nos rebus secundis longe acerbiores futuros , accedebant incommoda loci non ignota iis qui in ea urbe sunt commorati. Quibus omnibus propositis atq; inter

nos maturo consilio agitatis uisū est nobis,esse rep: mutare se des,itaq; locum angustum cum augusto, suspectum cum libero non idoneum cum opportuno commutauimus.At in ditionem Romani Pōtificis commigrauimus,quid tum quoties in urbe Roma præsidentibus Romanis Pontificibus comitia sunt ha bita frequentissimo patrum concursu ,ex ultimis terrarum so lis,promulgatæ leges saluberrimæ nemine infidum locum, aut longinquitatem itinerum causanti . At Bononiam recusarunt aduersarii nempe & Tridentum recusarunt quem ipsi locum antea delegarant.Quæ regio in terris fida illis &accessibilis ui deatur nisi eiusmodi sit, in qua nos constrictos & cathenatos ad eorum pedes iacentes ac prostratos uideant ? Non nouo neq; inaudito exemplo Principes locum mutauimus euoluan tur Annales ueterorum comitiorum,quoties uel leuisimis de causis translatæ sunt conciliorum sedes,modo dolus malus ab sit, quid ad pub. causam momenti affert loci commutatio ? cur Bononiam locum non esse tutum ac liberum iactant ad-uersarii,cuius loci, nondum periculum fecerunt ?Accedant in-tersint cætibus nostris, libere sententiam dicant, si afferri sibi uim sentient, reclament, incusent hominum fidem libere abe-ant, quando illis accedendi, & reccendi potestas fide publica est data,&uestra auctoritate confirmata nos si Tridento absef simus, iure id fecimus, cuius quidem iuris cognitores ipsi & iudices esse debemus,& concilii sententia huc uenimus, cuius in primis est non modo mutare sedes, uerùm & se ipsum sol-uere si ex usu ac neccessitate rerum id fore iudicarit. Nam qui facultatem recedendi quo libeat cōcilio adimuitam sane liber tatem eius funditus euertunt , iura omnia Diuina & humana perturbant, deniq; seipsos concilio constituunt superiores ac iudices,at inquiunt Tridenti Concilium est indictum,consen su omnium principum comprobatum , pari ergo auctoritate fuerat transferandum.Putant ne hi Concilium esse subselia il-la,ædem illam sacram parietes illos quibus conclusi eramus, quis nesciat Concilium esse patres ipsos auctoritate Romani pontificis,qui Christi locum gerit in terris in spiritu sancto le gitime congregatos? Hi ubicunq; fuerint ea ratione dispositi concilium faciunt, uos auctoritate uestra tridentinum Conci-

lium comprobastis,mutari locum nobis placuit, fas est placere & uobis.Quis audeat iure dicere penès paucos illos conciliū residere, qui seiuncti à capite ueluti mortua membra in loco à nobis darelicto permitere.Quos nisi priuatæ rationes & studia partium transuersos agerent non dubitamus,(quæ illorum est ingenii & doctrinæ uis)in uiam ueritatis , à qua uolentes aberrauerunt facile redituros annorū memoria Eugenio,quarto Pontifice Maximo patribus Basileæ congregatis , quanq; statutū esset ne cuiuspiā etiā Rom. Pont.auctoritate locus mutari posset placuit tamē Ferrariā ac deīde Florētiā trāsferri sedē,sēp enī statuētis auctoritas excepta humanis legibus esse Censetur,quum hoc præcipuum sit beneficium temporis, ut qđ hodie conducit,cras minime espedire uideatur. Atque hoc ipso differūt humanæ leges a Diuinis, & ab eo iure quod natura omnibus indidit animantibur.Hæc enim sunt æterna atq; incommutabilia,illæ uero multiplices capiunt uicissitudines pro rerum temporum,atque hominum conditione.Fuere etiam in ea synodo magni quidem uiri qui translationem illam unius Romani Pontificis arbitrio rectè fieri posse censueuerint;quod existimarint synodum ipsam ea in re legē Pontifici maximo præscribere minime potuisse,quando negotium eiusmodi non esset ex eorum numero in quibus æquum sit Romanum Pontificem fasces submittere,& obtemperare concilio. Quamobrē abeuntibus Basilea Legatis Pont Max. omuis eius concilii auctoritas concidit. Nam etsi Basilienses patres aliquandiu tumultuati sint , atque Eugenium Pontificem Max.redegerint in ordinem,tamen communis gentium consensus, & tam Orientis quam Occidentis ecclesiæ,id amplexæ & ueneratæ sunt, quod concilium auctoritate Romani Pont. comprobatum decreuisset,at causa nostra est longè melior ac extra oēm posita controuersiam,si quidem loci mutatio non unius aut paucorū uoluntate sed totius concilii auctoritate est facta,sic decretū , sic sancitum publico omuiū consensu atque iudicio. Non enim dissensio paucorum efficere unquam potest , quin omues idem sensisse uideamur.Trita est lex ac promulgata,quod pleriq; faciunt,id cunctos facere existimari.Possimus addere seniorum quoq; partem in sententia nostra fuisse,si liceret singulos conferre

ferre singulis. At posteaq̃ iam receptum est usu & interpretatione maiorum ut maior pars collegii sanior quoq; esse uideatur, non est quòd cæteris detrahamus, nobis uè quicq̃ proprium arogemus. Immortali tamen Deo immortales agimus gratias quod in unione Christianæ fidei sub uno capite firmi constantisq; permanserimus. Eos tamen non possumus non demirari, qui dum de Concilii loco digladiantur, Concilium ipsum negligunt. Vocem Concilii usurpât rem ipsam et fructum Cōcilii differunt, atq; abhorrent, Dicant obsecramus, ostendant, quantū ipsi Tridentino Concilio detulerint, num decuris in eo Synodo editis, obtemperarint? num explosas opiniones reiecerint? Quis non intelligit frustra ab iis mentionem Concilii fieri qui suo ipsi more uiuere aliosq; in ætatis suis ferendos esse persuasos habeant? Si Germania uicta ac sub acta a Christiano Principe Christianos leges non recipit num recipiet uictrix, ac triumphâs, si rebus integris annis territamur, contumeliis afficimur, fortunis spoliamur, quid fiet rebus profligatis te perditis? nobisq; in gurgustio aliquo in potestate hostium potentissimorum conclusis? Quamobrem te in primis Carole Cæsar Imperator maxime atq; inuictissime cōpellamus, qui de manu Romani Pontificis Imperatorium diadema suscepisti, ut Romanam Ecclesiam in qua nulla unq̃ peruersa irrepsit Religio. Ecclesiarum omnium Reginam & moderatricē agnosceres, quæ simulachrum orbis terrarū sanctissima insignitum Cruce traditum tibi à Romano Pontifice summa cum pietate accepisti, ut intelligeres fas esse te auctore te duce omnia mundi regna Christum Deū sincere colare ac uenerari, qui Bononiæ in celeberrimo Patrum consensu, præsidente Romano Pontifice, districtum uibrasti gladium, dū euangelica lectio publicè recitaretur, ut omnibus piis, atq; impiis palam esset, uindicem te atq; ultorem futurum in eos omnes, qui de Euangelica doctrina aliter sentirent quàm antiqua sāctorum Patrum posceret interpretatio, qui tot ac tantis a Deo auctus es beneficiis, tot uictoriis Augustiro factus ut Magno illi Carolo haud īferior uideare te hortamur te supplices obsecramus, ut quam tutelam Romanæ atq; adeo Christianæ Ecclesiæ maiores tui fortissime gloriosissimeq; gestarūt,

eam ipse non deseras, nec patiare unitatem Christiani populi, pro qua Christus innocentissimum fudit sanguinem, improborum consiliis, dissolui ac lacerari. Vos cæteros Reges ac Principes Christianos insignitos caractere qui nulla Re, magisq; Christiana pietate Illustres & excelsi estis, quorum progenitores tot expeditiones, tot bella etiam transmarina pietatis augendæ causa confecerunt, oramus, obtestamurq; in hanc p̄cipuè curam incumbatis, ut uestris amplissimis titulis accedat hæc gloria seruatæ Religionis, ac redditæ tranquillitatis, quam non alia ratione, quàm pace publica & obedientia mandatorum, Dei atq; Ecclesiæ restitui posse existimamus.

Hier. Niger Apologia

GRaue mihi onus hodierno die sed plenum offitii & pietatis uideor suscepisse, uiri ornatissimi, qui Calistum Amadeum Argorum Pontificem nuper extinctum sim laudaturus. Multa enim me commouent, uehementerq; perturbat, primum omnium quod in nobilissimo orbis terræ Gymnasio non modo imperitus sed etiam imparatus ad dicendum accesserim, à quo si summum oratorem Demosthenem ita ferunt abhorruisse, ut nunquam nisi præmeditatus ad orandum uenerit, quanto id ego magis reformidare, ac perhorrescere debeo, qui diuinam illius eloquentiæ uim ne agnoscere quidem nedum imitari possum? deinde quòd tam breui temporis curriculo tot & tantarum laudum mihi uersanda sit moles, ut uerear ne id mihi usu ueniat, quod currentibus in stadio euenire solet, qui perspecta spacii longitudine, consternati animo, medio in cursu prolabũtur. Accedit ingẽs animi dolor, quo ex amici incomparabilis morte conficior, ipsaq; cogitatio humanæ miseriæ, in quam incidere necesse est, quem enim miserabilis mortalium conditio non commoueat, ubi perspexerit quàm paruo momento, ingentia hominum studia, immẽsiq; labores intereant? Dicendum tamen omnino est, & apum more tot clarissimarum uirtutum flores à nobis delibandi sunt, ne ingrati aut inuidi uideamur, si extremum hoc laudationis munus uiro optimo atq; amicissimo denegemus. Quod dum bre-

uisſime facio,quæſo animum aduertite,ac date ueniam,ſi quid impar tāti uiri uirtutibus, aut ſi quid forte indignum ueſtris æruditis auribus attulero .Sunt qui laudationum primordia a generis nobilitate ſūmant, quod & ſi non iniuria faciunt,quod fortes plerunq; uiri naſcantur ex fortibus, tamen cum degenerare interdum multos etiam maioribus ſuis uirtute prælucere uideamus,ea uerior,&magis cuiq; propria cenſenda eſt laus, quam ſibi quiq; ſuo,ut aiunt, Marte pepererit. Atq; illi primo loco ſtatuendi ſunt (ut opinor) qui ſuæ nobilitatis iecerunt fundamenta, primiq, ipſi generis ſui tenebras uirtutum ſuarū luce fugauerunt.In hoc Albo,&conſpicuo quidem loco Calliſtum Amadeum ponendum cenſeo, qui ut primum per ætatē animaduertit ſe maiorum ſuorum gloria niti non poſſe,uiam uirtutis ardenti animo eſt ingreſſus, ac poſt prima literarum rudimenta,atq; ea ſtudia quæ hominem ad humanitatem informant ciuilis ac Pontificii iuris ſcientiam eſt complexus .Eſt hoc diſciplinæ genus cum per ſe honeſtisſimum, tum ad ciuilis uitæ ſplendorem & gloria ualde pertinens,modo ad eum finē dirigatur,ad quem initio eſt inſtitutum, quid enim præclarius quam conſilio iuuare quam plurimos, controuerſias dirimere, ius petentibus dicere ex lege inſtitutoq; maiorum ? Nam lites ex litibus ſerere,cauſam inferiorem, ſuperiorem facere , tam eſt præter intentionem eorum qui leges tulerunt , quam Mors & interitus à medendi arte . Idcirco enim conditæ ſunt leges ut ſciant homines quid ſuum, quid alienum ſit, ut earum metu mali coerceatur,boni uero earum præſidio conquieſcant. Et quoniam eæ breuiter ſcriptæ ſunt, nonnunquam etiam ſub obſcuræ ac propter hominum peruerſa ingenia uarias recipiunt interpretationes,capropter apud omnes gentes, atq; omnibus ſæculis ſummo in honore fuerunt legum interpretes , quos tanquam oracula in puplicis & priuatis rebus conſulere neceſſe eſt,itaq; legum dignoſcendarum ſtudio incenſus Calliſtus è Mathelica Piceni oppido natali ſuo loco ,Peruſiam primum deinde Bononiam ad publicum ſe Gymnaſium contulit . Vbi uſq; adeo profecit,ut non pecuniæ gratia quod plerunq; fit , ſed uirtutis ergò donatus laurea,ius ciuile ac Pontificium magna auditorum frequentia profeſſus fuerit. Inde ſacris initia-

tus Romam adiit Iulio secundo Pontifice Max. in qua urbe uidi ego,uiderunt multi qui adsunt, Callistum summa cum in tegritate ac prudentia ius reddentem,nihil non sincerum, nihil non maturo iudicio discussum ab eo proficiscebatur,omni bus comis,ac iucundus,faciles unicuiq; ad se aditus præbebat, non æternæ apud eum controuersiæ, non auaritia, non crudeli tas in eo ulla uisebatur,Enimuero magnum ac prodifficile est cum populariuni gratia exercere iudiciū mitto infinitas penè molestias, quibus circunfundi necesse est eos, qui publicè iu dicant, Patroni causarum non tot aduersariis, & clientibus quot iudicibus insidias exstruunt, quod cauillis proficere nequeūt,id precibus & precio assequi student,si seuerus est iudex, durus illico,&in humanus appellatur,si paulo remissior fuerit nimis lenis & perfractus censetur, at Callistus noster hosce scopulos,has sirtes deuitans æquum se omnibus, & amabilem semper præbuit.In illa corrupta,& corruptrice urbe, ius dicen do æqualiter,suum munus diligenter moderateq; proagendo, summam laudem est consecutus. Verum dicam ne an sileam? neque uiri Clarissimi sine dolore,ac sine nota nostrorum tem porum ingratorum hominum perfidiam recensere. Dum is fructum aliquem laborum suorum sperat,desertus ac proditus à quibus minime debuissent specie honoris in periculosam prouinciam relegatur.Velut alter Hercules ab Euristeo ad per domanda monstra, per omnem Romani Pontificis ditionem ad querelas populorum aduersus prætores cognoscendas mit titur non erat huic dubium quin id muneris non in pœnam sceleris aut flagitii, sed in odium Iustitiæ rectæq; sententiæ si bi deferretur,tamen accerba illa & ingrata laborum suorum præmia cum uitæ discrimine coniuncta non tenuit.Exiuit ala cri Animo in difficillimam prouinciam, ut maiora in dies in nocentiæ suæ testimonia perhiberet, neq; Italiæ tantum urbes, quæ in potestate Pontificis Max.sunt sed &Narbonensis Galliæ loca omnia Ecclesiastici imperii peragrauit,De prouocationi bus& querelis cognouit tanta æquitate,tantaq; modestia, ut &saluti populorum & dignitati principis optime consuluerit,Reuersus in urbem cum nihilo placatiores eorum Animos reperisset,qui indigne in se concitati fuerant,statuit locum ali

quem ſibi deligere extra omnem ambitionis aleam poſitum, non ad ignauiam & deſidiam, ſed ad diuinum obſequium accommodatum. Etenim non ſibi ſapiunt ii(mea quidem ſententia) qui cum ex lectione grauisſimorum auctorum, uſuq; ipſo quotidiano dedicerint, quot & quantis perturbationibus obnoxii ſint, qui popularem gloriam affectant, extremam ſaltem æui ſui partem Deo dicarem, & quaſi extremum actum fabulæ recte agere non ſtudent, quare delatam ſibi Veronenſis Eccleſiæ adminiſtrationem ſuſcepit, atq; in ea eiuſmodi monumenta reliquit inocentiæ, integritatis, & pudoris, quæ nulla unquam uetuſtas, obruet, nulla delebit obliuio. Poſtremo oblatam Patauinæ Eccleſiæ regendæ prouinciam unà cum argorum pontificatu non repudiauit; eo ſcilicet Animo, ut quod præſtare Argolicis ciuibus ob longinquitatem loci non poterat, Patauino populo commodus præſtaret. Quo in loco ſiquis uos ad unum interroger, quam perſonam ſuſtinuit, una omnes uoce conclamabitis hunc paſtorem, non mercenarium, Parentem non alumnum, alterum urbis conditorem, non peregrinum hominem extitiſſe. Erat in nonullis hominibus noſtri ordinis (ut uera non diſſimulem) tanta arrogantia, tanta licentia, ut ea non niſi ſumma legum ſeueritate, maximaq; pœnarum acerbitate frenari poſſe uideretur. Eapropter non defuere, qui malorum impunitatem cupientes Calliſtum crudelitatis & ſeuitiæ accuſarent, quibus illud exploratum uelim eſſe(ut uirga inflexa & incurua non poteſt alia ratione recta fieri niſi in contrariam partem conuertatur, ita deuios homines à recta uirtutis ſemita & in prærupta uitiorum præcipites, non aliter quam legum habenis & ſeuera animaduerſione poſſe retineri. Sed quænam fuit in hoc hominem tanta ſeueritas? cuinam petenti ueniam non facile conceſſit, quem non ardentem ira, & ulciſcendi libidine percitum leni ſermone, atq; omnibus condimentis humanitatis mitigauit? quod ſi quem ex legibus, atque edicto mulctauit, num ſibi multam Arrogauit? Num cum iniuria detrimentoue alterius auxit rem ſuam familiarem? uos appello Principes ciuitatis, uerum aduoco teſtimonium ciues optimi, ſub quorum præſidio, ac tutela, Xenodochia urbis poſita ſunt, neq; enim uos præterit pauperum&

erumnosorum beneficio semper adscriptum fuisse, quicquid ex multatitia pecunia congeri potuisset.

Quod si cætera deessent testimonia, testis esto summa huius paupertas, in qua & uixit, & mortuus est sed quid ego te Calliste paupertas uixisse & obiisse dicam? uixisti tu quidem doctrina, uirtutibus gratia locupletissimum, diem obiisti, celebritate nominis certissima spe immortalitatis ditissimus, Thesauros in cœlo tibi comparasti, quos qui possident, soli sunt diuites, ò te felicem, ac perbeatum, qui uite Curriculo honestissime confecto&in urbe Italiæ longe Clarissima in muneribus uero antistite dignissimis ad eam uictor peruenisti metam, quam constituit deus diligentibus se, nos uere miseros dixerim & calamitosos, qui tua destituti ope, iactamur his fluctibus, qui amisso gubernatore contrariis hinc & inde uentis agitamur, ueruntamen, quæ tua semper fuit in nos beneuolentia & caritas, ne extremo quidem hoc tempore nos deseres, confido enim fore, ut quemadmodum uiuens consilio nobis atq; opera præsto fuisti, ita &mortuus apud immortalem Deũ, perpetuus noster adiutor & fautor sis futurus.

1 Ex omni disciplinarum genere, quæ ad excolendam hominum uitam pertinent, nulla profecto præstantior est atq; sublimior Theologia, quæ cum rei quam pertractat nobilitate, tum uero usu, deq; utilitate, quæ ex ea prouenit longè omnibus disciplinis, atq; artibus est conferenda, uersatur enim in Dei Optimi Maximi cognitione, quo nihil est admirabilius, nihil sublimius, quantum autem utilitatis afferat hæc Sapientia, nemo sanus ignorat. Namq; si medico proposita est salus corporis, Animi Theologo proposita est, & uita Beata, si philosopho attributa est Naturæ cognitio, Theologo debetur eius, qui supra naturam est contemplatio, si Astronomo Astrorum cursus, & celestium corporum aspectus est considerandus, ad Theologum inuisibilis solis, & uniuersi orbis, conditoris meditatio spectat, si iurisconsulto legum peritia conuenit, ad Theologum spectat, supremi legum latoris, qui supra omnem legem positus est perscrutatio non immerito igitur Cæsar Fauensis

minoritanæ ac Seraphicæ Religionis professus, quem præsentem intuemur, nullis laboribus, nulli pepercit industriæ, ut ad intimam diuinæ huius sapientiæ cognitionem penetraret, cuius quidem rei, nobis hodierna die, locupletissimum protulit testimonium. Nam & docte prælegendo, & acute disserendo facile ostendit quantum in hac sublimi sapientia profecerit, quamobrem ne eximia huiusce uiri uirtus, & perpetui labores, quos pertulit, suo præmio fraudentur, nos Apostolica auctoritate qua fugimur, & uirtute priuilegiorum, nobis & collegio nostro Militum S. Petri, ab Apostolica sede concessorum, te liberalium artium, & sacræ Theologiæ Magistrum facimus, creamus, & pronunciamus, Ius tibi plenissimum tribuentes Magistralem Cathedram, regendi interpretandi, cæteraq; omnia faciendi, quæ reliqui artium, & Theologiæ Magistri facere consueuerunt ac possũt, uolumusq; ut omnibus prærogatiuis, & fauoribus potiaris & gaudeas, quibus reliqui artium, & Theologiæ magistri ubiq; gentium potiuntur & gaudent. itaq; te coram nobis constitutum, & humiliter petentem, Magistrali corona decoramus ac perpetue pacis osculo cõplectimur monemusq; ut armatus lorica fidei, & Galea salutis, aduersus omnes Christianã ueritatem impugnantes audacter insurgas Apostolicæ sedi unde hæc honoris manant insignia, fidelis semper sis atq; obediens actionesq; tuas, oratione dirigas ad illius honorem, & gloriam, qui trinus & unus regnat in secula.

2 Qui de moribus ac ciuili uita copiose luculenterq; scripserunt, ornatissime confessus, non in postrema laudis parte, posuere, Illustri loco, clarisq; parentibus ortum, ac liberaliter educatum haud mirum est quoniam si arbores fructificæ, si Animalia ueterina canes, uolucresq; ad uenandum apti, a soli bonitate in quo hæc nata sunt, commendari solẽt, quanto id magis hominum generi consentaneum uidetur, in quibus uirtutis agnitio Maiorumq; æmulatio, & gloriæ apetitus iucundissimus reperitur hinc enim legimus, Themistoclem illum ducem Atheniensem summum, intempesta nocte experrectum, fora omnia urbis obambulare solitum fuisse, atq; interrogantibus quid ita faceret, respondisse

Milciadis Tropheis se e somno excitari, cum ipse iisdem gloriæ stimulis ageretur, quamobrem Io. Antonii Clanoni laus non ultima est, quòd in urbe Vicentina, nobilissimo genere sit natus, quæque urbs, ciuium Magnificentia diuitiis agri ubertate, amanitateq; nulli, alteri totius Italiæ cedit, cum enim Italiam dico, totius terrarum orbis florem dico, quod optime norunt ii, qui aliquando transalpes, com mearunt, quod mihi nonnunquam accidit, uerissimumq; ét Vergilianũ illud oraculũ deprehẽdi, qui sic aliqñ cecinit.

Sed neq; Medorum siluæ ditissima terra,
Nec pulcher Ganges, atq; auro turbidus Hermus
Laudibus Italiæ certent, non Bactra, neq; Indi,
Totaq; turiferis Panchaia Pinguis Arenis
Iactet; Lusitania auriferum Tagum, iactet India Ebur,
Et indici Maris Margaritas,

Modo Italia fortes, & sapientes iactet uiros, qui de uniuerso terrarum ambitu triumpharunt &nunc quoq; triumpharent, nisi proh dolor in contraria diuisi studia mutuis se discordiis affligerent ac debilitarent, sed ad te iam redeo Io. Anto. qui claris natalibus, totq; & tantis ornamentis, non contentus, hanc quoq; doctrinæ & iuris prudentiæ laudem tibi comparasti, cuius hodierno die in celeberrimo hoc loco, Manifestissimum iudicium protulisti, quo factum est ut Amplissimus hec ordo, quo nullum habet terrarum orbis honestiorem & sapientiorem, nemine horum patrum penitus dissentiente, dignissimum te iudicarunt, cui laurea decernatur corona, nos uero decretum hoc honorificentissimum collaudantes& pontificia qua fungimur auctoritate te nunc, Doctorem utriusq; iuris facimus dicimus &pronunciamus dantes tibi licentiam glosandi interprandi, Cathedram Magistralem ascendendi, cæteraq; faciendi, quæ Doctores utriusq; iuris facere consueuerunt &petendi in super insignia. ab excellentiss. promotoribus tuis quibus habitis, & susceptis eisdem utaris&gaudeas ad laudem Dei omnipotentis & patrie tuæ ornamentum.

3 Philippus Macedonum Rex Magni Alexandri pater Ampliss. confessus, cum uno eodemq, tempore seu die, ter nos fe-

felices accepisset nuncios,primũ Illirios,ab eius Duce Parmenione ingenti prælio superatos,secundũ natum sibi filiũ Alexandrum, tertium uero suum in Olympico Victorem equum extitisse magna perfusus letitia,Rogasse Deos fertur ut tristem aliquem sibi nuncium mitteret,qui tam felici rerum successu, totq, Victoriis exultantem animum comprimeret,quod si tano Regi non parua uisa fuit accidisse felicitas suum in Olympico certamine Victorem equum fuisse nunciari, quanto maior atq; Illustrior Odorico foro Iuliensi,felicitas hodierno die contigit,qui in literaria Palestra, atq; hoc in campo omnium nobilissimo, Victor euaserit, si quidem is ut cæteras eius laudes,non omnino silentio inuoluamus,Vtini natus, quod oppidum est Venetiæ Regionis Italiæ,admodum celebris Vetustissimum à Iulio Cæsare primum conditum, deinde ab Hunnis,qui Attila Rege Orã hanc Italiæ deuastarunt restitutum, quo ipse ex Ruinis uicinarum Vrbium,& ex nobilissimorum ciuium fuga Venetiæ urbs condita in hunc quem cernimus culmen.Magnificentiamq; peruenit, in ea igitur urbe florentissima, honestis parentibus ortus Odoricus hic noster, cum primum per ætatem licuit ad Celeberrimum hoc Gymnasium se contulit,in quo sub Clarissimis præceptoribus, ciuili ac Pontificio iuri,tantum studii opereq; impendit, ut breui temporis curriculo in præstantissimum euaserit iurisconsultum,testanturq; hoc,cum alia multa de eo facta pericula,tum uero certaminis hodierni exitus felicissimus, uestrumq; Patres Optimi, honorificentissimum de eo iudicium, Nemine penitus dissentiente,cuiq; optimæ merito etiam, in uictorie signum Lauream decreuistis, quod decretum Nos,ut ad te iam uestra conuertatur oratio,collaudantes, te inquam auctoritate qua fungimur, in utroq; doctorem,cum omni iuris plenitudine, pronunciamus ac declaramus, quamobrẽ possis iam arbitratu tuo, à præstantiss. promotoribus tuis, quos ad te honestandum accensos uideo tanti honoris insignia petere ac suscipere, & cum Philippo Rege,de quo antea meminimus,non tam felici hoc successu,gaudere, quam Deo Optimo Maximo,quicquid id est, acceptum referre, à

O

quo omne datum optimum & omnem donum perfectum descendit à patre luminum,cui omnis honor &gloria debetur in secula.

4 Magna quidem ac penè infinita sunt à Deo Optimo Maximo in humanum genus collata beneficia Ornatissime cõ fessus,sed nullum est præclarius,atq; Illustrius , quàm quòd homini quem cæteris animantibus Imperaturum ex animo, corporeq; conflauerat,Animaduertens eum protoplastorũ culpa,in plurimas grauissimasq; tũ animi tum corporis ægritudines prolapsurum,duo salutaria pararit remedia, rationem scilicet, quæ perturbatas animi affectiones, tam ex irascibili,quam ex concupiscibili fomite , erumpentes repri meret,& Medendi facultatem qua præditus ægris corporibus salutem afferret,sanis autem habitum bonum conseruaret,primum sanè,ex nulla disciplina magis quam ex Philosophia,sibi comparari potest,quæ si ad eum usun, ad quem diuinitus data est conuertatur, quid pulchrum, quid turpe, quid honestum, quid utile sit facile ostendit,illa regit dictis animos,&temperat Iras. Alterum uero quod ad corporis tutelam pertinet,ex ipsa medendi scientia Diuino beneficio comparatur, quis enim hoc inuentum alteri quam Immortali Deo tribuat,cuius proprium est salutem hominibus dare,partamq; conseruare ? aut quis Hortulis insitàm uim plantarum,mineraliumq; diuinare potuisset, nisi Deus ipse Optimus Maximus earum rerum conditor , naturæ arcana homnibus patefecisset,Hoc sacræ attestantur literæ, qui bus proditum est, summo honore afficiendum etiam Medicum, quod eum altissimus procrearit, Recte itaq; fecisse uisus est Laureandus noster Colantonius , qui cum præclaras artes ac disciplinas libero homine dignas , philosophiamq; ipsam animi moderatricem sibi comparasset , ad medendi scientiam cupescendam se contulit , in qua sic excelluit, ut hodie in hæc publica Harena,& campo omniũ nobilissimo insignem sit, uictoriæ laudem consecutus , nemine uerum penitus dissentiente,cõcorditerq; omnium suf fragiis dignus habitus est, qui in diuina Medicinæ facultate, non uiolacea,sed Laurea & semper uirenti corona dona

retur. quod nos iustissimum decretum Pontificia auctorita re qua fungimur comprobantes te.

5 Memoria proditum est, Ornatissime consessus Biantem prientum unum ex septem Graeciæ sapientibus, proficiscen ti in Ægyptum filio, ac sciscitanti quid potissimum faceret, quod sibi utilissimum foret, paucis ita respondisse, Fili mi uiaticum tibi ad Senectutem para, quod nunquam deficiat, uirtutem scilicet & sapientiam cætera nanq; externa & corporis bona tot fortunæ casibus obnoxia sunt, ut interdum paruo momento, & solo ictu oculi protinus euanescant, sola uirtus fida ac perpetua est, huiusmodi Comes & uiuenti & mortuo, ex omni autem uirtutum genere legum prudentia nobilissimum sibi locum uendicat. De cuius laudibus mini me operepretium duco hodierna die uerba facere, cum etiam sæpe numero hoc loco decantatæ sint, ac ueluti Cambræ repetitæ fuerint, tum uero quod illius dignitas & amplitudo, nulla magis ratione, quàm ex uestra omnium dignitate atq; amplitudine dignosci queat, superest igitur ut ad hunc Laureandum nostra iam conuertatur oratio, qui ex Biantis pcepto, hanc ipsam Iuris scientiam ueluti uiaticum ad senectutem tibi comparasti in qua quantum profeceris, hodierni certaminis exitus declarauit, cum hi Clarissimi P. nomine eorum penitus dissentiente te dignissimum iudicarint, qui in utraq; Censura, Lauream semper uirentem in patriam reportares. Quos nos Decretum collaudantes Pontificia qua fungimur Auctoritate te in utroq; Iure Doctorem, cum omni Iuris plenitudine, creamus ac pronunciamus, Quamobrem ab his Clarissimis legum interpretibus promotoribus tuis posito ea atq; accipias consueta huiusce honoris insignia ad illius gloriam qui trinus, & unus regnat in sæcula.

6 Philippus Macedonum Rex Ornatissimæ consessus, Alexandro Filio suscepto, confestim ad Aristotelem scripsit, non tam lætari noua prole, quàm quod eam Aristotelis ætate suscepisset, à quo Filium pclaris artibus & disciplinis optimæ instituendum speraret, Nec sua eum fefellit opinio, ex quo maiorem gloriam consecutus est Alexander, quod

Ariſtotelis diſcipulus fuerit,quàm quòd Phillippo patri in Macedoniæ Regnum ſucceſſerit, ſi quidem unum, uirtutis aliud uero fortunæ beneficium fuit,non exigua quidem eſt adiſcentis felicitas,optimos inueniſſe præceptores,quemadmodum & ſub Ducibus Clarisſimis Militaſſe non ultima Militum eſt laus, quod feliciter euenisſe cernimus Hier. noſtro, qui in celeberrimo hoc Orbis Terræ Gymnaſio, ſub eminentisſimis pceptoribus tum Philoſophis,tum Medicis, Optimis artibus libero homine dignis, tantum opere ſtudiiſq; impendit ut breui tẽporis curriculo ,in præſtantisſimum Philoſophum Medicumq; euaſiſſe uideatur, cuius quidem rei,cum alibi ſæpe,tum uero hodie , Manifeſtisſimum periculum fecit , nanq; & Ariſtotelem & Galenum prælegendo & argumenta in contrarium adducta ſoluendo , & propoſitum caſum explicando eum ſe uerum præbuit,quem Iure Optimo Vos uniuerſi patres,celeberrimi, ueſtrum penitus diſſentiente, Laurea Corona in liberalibus artibus, ac Diuina Medicina dignisſimum iudicaſtis, Nos itaq; Decretum huiuſmodi comprobantes te &c.

7 Solon Philoſophus , qui Athenienſibus optimas leges dedit P.Clarisſimi ſupremo uitæ die, Asſidentibus Amicis , atq; inter ſe uoce ſummiſſa,de contemnenda morte diſſerentibus,ut ſunt admodum auriti ægrotantes, præſſum iam imminente fato,caput errexit, interrogatuſq; quid nam ſibi uellet, reſpondit, hoc enim uolo ne me morientem lateat id de quo diſputatis, quid nos facere decet, florenti æuo , ualetudine Integra,exiguæ Doctrinæ homines, ſi capularis ſenex Sapientisſimus, Moriens,tanta diſcendi cupiditate flagrabat?Silentio prætereo breuitati ſtudens, Pitagoram Samium,Anaxagoram,Platonem,Democritum,& innumerabiles formæ alios,qui in perpetua peregrinatione uitam duxerunt,ut ex uniuerſo terrarum Orbe ſapientiam colligerẽt quam ipſi poſtea in omnem poſteritatem diſpergerent ac propagarent , quæ res noſtrorum temporum calamitatem coarguit, quoniam pleriq; patriis rapti delitiis , deſidia ocioq; marceſcunt. Quorum corruptos , Mores auerſatus Laureandus noſter.H.P. ad ueterum effigiem animum com-

ponens,exultimis terræ finibus Nobilissima patria egressus, uelut alter Vlisses uarios hominum mores, urbesq; perlustrauit, in quibus optimas artes libero huiusmodi dignas, Mox Theologiam deinde Ius ciuile ac Pontificium non ipsum in cortice, sed medullitus,ediscendum curauit, postremo uero non exiguam sibi gloriam ratus,ex eo comparari, si hasce Antenoreas Athenas, quibus nihil spectabilius habet terrarum orbis,inuiseret,huc se se contulit atq; hoc in loco extremam manum suis laboribus,ac cæpto operi,quod Græci Colophonem dicunt, imponendum duxit. Nam ut Alexander Macedonum Rex,non parum sibi ad laudem cō ducere existimasse ab uno Apelle pingi, & ab uno Lysippo fingi ita & hic letissimus adolescens , Iure Optimo arbitratus est, tum demum fore honestum, si ad huius Amplitudinis ordinis manu acceptā Lauream in patriam reportaret quod huic felicissimæ euenisse gratulamur,facto itaq; de eo deq; doctrina eius ingenio , & memoria diligenti periculo, Hi. P. Clarissimi concordibus suffragiis,ac eorum nemine penitus dissentiente, ipsum dignissimum censuerunt qui in Doctorum utriusq; Iuris gradu , atq; Ordinario referatur. Quorum nos Iudicium ut parem , insequentes auctoritate Pōtificia qua fungimur,te utriusq; Iuris, Doctorem creamus pronunciamus& declaramus, plerunq; ius tibi concedimus omnia gerendi & exercendi quæ utriusq; Iuris Doctores facere consueuerunt, ac possunt,uolumusq; ut omnibus muneribus honoribus,&prærogatiuis potiaris & gaudeas quibus cæteri eiusdem Ordinis Doctores potiuntur & gaudent , Age igitur Doctissimæ Iuuenis & ab his Clarissimis legum luminibus promerita prius tibi debita , huiusce honoris & ornamenti insignia,pete & suscipe.

8 Posteaquam nulla opera nostra nullisq; meritis,sed Diuino factum est numine Ornatissimæ confessus , ut molem hanc nostris haud æquam uiribus sustineamus , utemur Platonica atq; adeo Christiana Oratione,dicentes . Summe pater Cælitum,mundi fabricator& opifex, da ut non quòd nobis optimum uidetur sed quod tu optimum fore sentis perficiamus, uos autem Patres celeberrimi qui in sacratissimo hoc

loco,aliene uirtutis Iudices confidetis, oratos atq; obsecratos uolumus, ut si quid à nobis perperam fuerit enunciatū, id omne non deprauato animo,sed ingenii nostri tenuitati tribuendum putetis,si quid uero recte, atq; ex animis sententia uestri,dictum a nobis fuerit id ad omnipotentis Dei gloriam referatis,Hæc pauca præfati, ad ea quæ nostri muneris sunt transeamus.Constat enim ex omni rerum genere, quæ mortalium uitam exornant,nihil esse præstantius,nihil admirabilius, sapientia,nam cum ex animo corporeq; constemus,alterum cum brutis animantibus cōmune nobis est, alterum cum cœlestibus ac beatis spiritibus, promiscuum habemus,proinde qui corporeis indulgent sensibus aut nihil,aut parum admodum distare uidentur a brutis, qui uero animum præclaris imbutū disciplinis hi proxime ad immortalem Deum accedunt,&quodammodo cæleste in terris uitam ducunt, itaq; hi summa laude digni censendi sunt, Qui cum primum e pueris excesserunt, patria parentibusq; relictis ad celeberrima litterarum Gymnasia se conferunt, nullis parcentes laboribus & impensis, ut scientiis locupletati,ad lares patrios reuertantur,sibiq; ac suis,usui atq, ornamento esse possint, nam si qui Mercaturam exercent laudē promerentur, quod per uarios casus per tot discrimina rerum,peruagati,demum mercibus onusti in patriam reuertuntur, quanto maiore digni sunt laude, qui longo studio comparata scientia patriam repetunt, quam Consilio uirtute atq; industria pacis belliq; temporibus iuuare possint. Quo in ordine reponendum censeo,Prometheum Hernidiū Clericum,Spoleto Oriundum,seu Romana Ciuitate donatum, uirum ecclesiasticis titulis, atq; honoribus insignem, qui relicta urbe Roma,in qua non exiguam melioris fortunæ spem conceperat, audito nomine Patauini Gymnasii, toto terrarum orbe celeberrimi, Huc conuolauit, ut ex hoc fonte,ac potius magno omnium scientiarum Occeano, cognationemCiuilis ac Pontificii Iuris hauriret in quo eo usq; progressus est,ut uere uideatur,Prometheum illum à scriptoribus celebratum fuisse imitatum, quem tradunt Poete, ignem e cœlo,hoc est sapientiam surripuisse,per ignem enī

prisci uirtutem & sapientiam figurarunt, quæ perpetuo lucet & mortalium animos ad fortia gerenda & sustinenda inflammat, is enim tam apposite tam concinne ingenii & doctrinæ suæ periculum fecit, ut à uobis Iure Optimo dignus habitus sit, qui uerum nemine penitus dissentiente in utroq; iure Laurea condonetur, quam ob rem Nos Annuente hoc Ornatissimo Collegio Auctoritate Reuerendissimi Cardinalis Pisani Patauinæ Ecclesiæ administratoris perpetui, cuius locum licet indigni tenemus, Te doctorem in utroq; Iure pronunciamus& declaramus,tibiq; facultatem concedimus,in utroq; rursum legendi interpretandi, consulendi cæteraq; faciendi, quæ Doctores utriusq; Iur. facere consueuerunt& debuerunt, Surge igitur,& à promotoribus tuis consueta honoris insignia, pete & accipe cum illius benedictione qui pater est luminum,& auctor omnium benedictionum Iesus Christus.

9 Plato summus Philosophus, Ornatissimæ consessus, à quodã interrogatus, quid nam inter peritum& imperitum hominẽ interesset, quod inter medicum, ægrotumq; respondit,nullus enim animi,morbus grauior& periculosior est ignorantia,nulla accommodatior & salubrior Medicina, quam sapientia,solebat etiam idem Philosophus, ex Socratis præceptoris sui, scientia disserere, grauius puniendum fore, qui ignorantia peccat quam qui malitia, propterea quod qui hoc modo peccat,cum ingenio non careat, interdum etiã bene agere potest, qui uero supina &crassa labitur ignorantia semper peccat,uitanda igitur est, tanquam pestilentissimus morbus,omniq; ui à nobis omittenda, ut animum e cælo ortum,& in cecam hanc corporis caliginem iussu creatoris detrusum,cælestibus imbuamus disciplinis ut pristinæ uæ memor dignitatis,nihil aliud quam immortalitatem,& ueram gloriam meditetur,Hæc assidue cogitans Franciscus Alpinus Vicentinus ut primum sibi per ætatem licuit ad celeberrimum hoc orbis Terræ Gymnasium tanquam ad omnium scientiarum emporium, se contulit in quo nulli magis rei, quàm excolendo disciplinis animo, egregiam nauauit operam, nam post humaniora studia,in

quibus non mediocriter excellit , differendi artem moralem,deinde ac naturalem Philosophiam,mox diuinā, postremo medendi scientiam,sic est complexus, ut uestrum omnium calculis,ac nemine penitus dissentiente Laurea Corona in liberalium artium ac Mediciuæ scientia dignissimus fuerit, iudicatus , quamobrem nos huius Amplissimi Collegii unanimi consensu auctoritate Reuerendissimi ac Illustrissimi Francisci Cardinalis Pisani, Patauinæ urbis Pont. ac celeberrimi Patauini Gymnasii Cancellarii in præsentia locum uicesq; gerimus te Franciscum Alpinum in artibus & Medicina Doctorem creamus, pronunciamus, &declaramus,tibiq; facultatem tribuimus, legendi interpretandi,Magistralem Cathedram ascendendi , cæteraq; exercendi & gerendi quæ reliqui in artibus & Medicina Doctores, tam de Iure quam de consuetudine facere possunt ac debent uolumusq; ut omnibus & singulis Iuribus præeminentiis,Immunitatibus & prærogatiuis, potiaris & gaudeas , quibus cæteri in artibus & Medicina Doctores potiuntur &gaudent.Surge igitur mi Alpine eruditissimæ , & ab eximiis promotoribus tuis, hoc celeberrimo applaudente Collegio honoris tuis promerita insignia pete &accipe , cum illius benedictione est origo.

o Demetrius Syriæ Rex Antigoni filius , qui à Græcis ptoliportos, hoc est Vrbium expugnator,dictus est, captis Megaris,audita fama Stilphonis Megaren.philosophi ea ætate celeberrimi,eum ad se uocatum interrogauit, an ne quid sibi suarum rerum Miles eripuisset, Cui nihil a nullo sibi ereptum fuisse , respondit, subiiciens nunquam audisse , cuiquam sapientiam eripi posse, ob idq; Iure Optimo existimauit, fortunæ bona nostra non esse,Sapientiam uero solā, in bonis propriis fore connumerandam. Hinc præclara illa Arpinatis exclamatio , Quanti æstimanda est uirtus, quæ nec eripi, nec surripi potest, quæq; nec Incendio, nec Naufragio amittitur, nec ulla temporum permutatione , commaculatur, qua præditi qui sunt,soli sunt diuites,soli possident res fructuosas ac sempiternas . Hæc assidue considerans Stephanus Cathelanus Sacerdos Leniacen. quem pote

statem

ſtatem intuemur nulli rei magis, quam excolendo uirtutibus Animo, dandam ſibi operam iudicauit, hanc unam firmam ſtabilemq; poſſesſionem fore, ratus, quæ non uim, non grandinem, non ipſum etiam (ut poete aiunt) Fulminantem Iouem pertimeſcat, idq; ſibi maxime conſentaneum duxit, cum ex ſacris literis didicerit, labia Sacerdotis ſcientiam cuſtodire, & legem ex ipſius ore requirere cum Angelus Domini exercituum ſit. Quamobrem is humano ac diuino Iuri perdiſcendo, plurimum laboris & operæ impendit, quod hodie in ſacratisſimo hoc loco, atq; hoc Patrum ornatiſſimo collegio, luce meridiana clarius oſtendit. Quo factũ eſt ut Patres hi celeberrimi, p eorũ in oẽs optime meritos liberalitaté, uniuſcuiuſq; ipſorũ cõſenſu, ac nemine penitus diſſentiente, dignum te Stephanum Caſtellanum Laurea cenſuerunt. Nos uero Reuerendiſſimi, & Illuſtriſſimi Cardinalis Piſani, Patauinæ Eccleſiæ pontificis, auctoritate qua fungimur, te inquam utriusq; Iur. Doctorem facimus dicimus & pronunciamus, dantes tibi &c.

11 Ex omni rerum genere quæ mortalium uitam, exornant Nobiliſſime Antiſtes uiri Ornatisſimi, nihil omnino eſſe ſapientia præclarius, atq; Illuſtrius Sapientes Viri iudicarunt, nam quum ex Animo corporeq; conſtemus, corpus quidem cum brutis animantibus commune nobis eſt, Animum uero cum cœleſtibus promiſcuum habemus, pro inde qui corporeis indulget ſenſibus ii nihil ferè diſtare uidetur à Brutis, qui autem Animũ uariis excolunt diſciplinis, ii proxime ad Deum Immortalem accedere, & cæleſtem in Terris uitam agere exiſtimantur. Nec iniuria ſanè Sapientiſſimi illius Philoſophi ſententiam priſci Laudauere dicentis ociũ ſine literis Mortem eſſe, & uiui hominis ſepulturam, nam ut cibi potuq; alitur corpus, ita ſapientia nutritur & uiuit Animus, qui cum originem è Cælo duxerit, ſuapte natura ad cæleſtia ſemper aſpirat, ſumma itaq; laude digni cenſendi ſunt, qui ut primum ex ephæbis exceſſerunt patria parentibuſq; relictis, ad celeberrima ſtudiorum Gymnaſia ſe conferunt atq; ab excellentibus ingenio & Doctrina uiris, bonas artes adiſcunt, nullis laboribus aut impenſis parcen

tes ut doctiores in patriam reuersi, sibi ac suis usui ornamẽ toq; esse posſint,& enim si Mercaturam exercentes, non ca rent sua laude, quod post terræ Marisq; pericula, onusti Mer cibus ciuitates ad quas perueniunt, multis afficiunt commo dis, quanto magis laudandi sunt ii, qui locupletati scientia in patriam redeuntes Consilio auctoritate opera iuuare potest Remp. ex quorum numero atq; ordine censendus est VVolfangus Furtmaerus, ex Nobilisſima superiore Germania ortus, oriundusq;, cuius quidem Gentis & Nationis, Laudes si pari splendore orationis prosequi uelim, sanè ue reor ne me dicentem uox&dies ipsa deficiat nulla est enim intoto terrarum orbe prouincia, seu bellacisſimorum homi num copiam, seu fidem & constantiam, siue doctrinam, uariarumq; usum artium spectemus Germania ipsa præstantior, aut Eminentior, nostri Iulium Cæsarem iactant, rei mi litaris peritissimum ducem, uerum is in debellanda uel mi nima Germaniæ parte, plus laboris & opere, quam in uen dicando sibi imperio Romano, impendit. Aut ita multo post imperante Augusto Cæsare cunctis formidolosa fuisse Romana arma, memoriæ proditum est , at Robustisſimas Romanorum legiones cum Lelio & Quintilio Ducibus à Germanis, concisas,& deletas legimus, tantumq; uirtutis& fidei, in Germano Milite extitisse tradunt Historiæ ut Cæsares ipsi, non alium militem quam Germanum suorum cor porum, custodem praeesse uoluernt. Iam uero quis nesciat tormenta bellica quibus nostri utuntur exercitus,& impres sorum librorum artem, duo stupenda rerum miracula, quæ ueteres nostri nunquam somniarunt, Germanicum inuentũ fuisse. Huiusce Gentis rursum, uirtutem fidem religionem admirati superioris ætatis Pontifices Maximi non alia ratione culmen imperii Græcorum Socordia penè euersum, &Apostolicæ sedis Apicem , ui impiorum hominum prope deiectum & iacenem, restitui posse existimarunt, quam si imperii iura in Germanos ipsos transferrent, ac sub eorum præsidio,& pietate tuti conquiescerent, pro quo accepto be neficio,& si nonnulli ætate nostra, parum se se gratos exhibuisse uisi sunt sperandum tamen est ope Diuina , ac Pauli

Tertii Pontificis Max.Et Caroli Quinti Cæfaris inuictiſſimi Prudentia fœlicitate uirtute breui fore , ut cecutientium tandem aperiantur oculi,&priſtinam Germania recuperet dignitatem,hac igitur in Regione totius orbis celeberrima & in Bauaria prouincia quam Danubius mediam fermè perlabitur honeſtisſimo loco natus Laureandus noſter, nihil duxit antiquius quam ut Italiam proficiſcens ad Bononienſe primum,deinde ad Patauinum hoc florentisſimum Gymnaſium ſe conferret, in quo cum aliis quidem ſciētiis &diſciplinis,tum uero Pontificio iuri eam nauauit operam, ut Sapientiſſimorum uirorum iudicio, habitus ſit, qui uelut Victor in Olympico certamine, non areſcentibus aliquando foliis,ſed perpetuo honore coronetur, de cuius ſcientie profecto dignitate ac laudibus non eſt cur in præſentia uerba faciam,cum nemini,planè ignotum ſit, hanc eſſe præcipuam Theologis partem,quæ ſcripturis ueteris nou iq; inſtrumenti Sanctorum patrum decretis ac Sacroſanctis Conciliorum ſtatutis contineatur,tantumq; reuerentie huic Sacratisſimo Pontificum Iuri à Summis Cæſaribus exhibitum fuiſſe legamus,ut leges ipſe ciuiles,non dedignentur Sacros Canones Imitari , imperatorq; ipſe legum lator profiteatur ſe quattuor uetuſta Concilia non aliter quam quattuor Euāgelia uenerari,ſuper quibus fundata eccleſia ad tantam, & tale dignitatis faſtigium conſurreſcit , Sed cum tempus & ratio ipſa poſtulet ut qui laborauerunt, aliquando reficiantur,&laborum ſuorum fructum aliquem metant , ad te iam me conuerto VVolfange eruditisſime , poteſtate mihi facta ab Ampliſſimo Antiſtite Philippo Donato , Cydoniorum Pontifice,uulgo Agrenſie nuncupato,accedente tot doctiſſimorum uirorum conſenſu, qui te in prelegendo accuratiſſimum in diſputando acutiſſimum atq; omni ex parte , Maxime idoneum repererunt Accipe iam Doctoratus promerita inſignia primum quidem ſubarro te ac deſponſo annulo aureo,ut intelligas,quemadmodum Aurum cæteris metallis præciofius eſt,ac fulgentius,ita ſcientiam, cæteris humanis rebus præcioſiorem ac ſplendidiorem eſſe , tibiq; eam ueluti ſempiterno congiugii fœdere fore coniunctam ſcias,

librum deinde clauſum ,mox apertum tibi trado , ut agnoſcas hanc ipſam Iuris ſcientiam tibi in memoriam reconditam &clauſam eſſe debere & ſi forte quicquam mente excideritꝯ(ut eſt hominum labilis memoria)ad apertos recurras libros in quibus omnia,diſcuſſa &digeſta reperies ,non tam ad tuam quàm ad aliorum & præſertim indigentium & oppreſſorum utilitatem pertinentia,lauream deinde capiti tuo impono in Triumphi Speciem ut calcatis mundi Illecebris,& uoluptatibus,ſoli Deo uiuenti,&Reip. ſeruias, poſtremo complector te oſculo pacis ut recorderis,debere ſuper te requieſcere,Spiritum Pacis,atq; utaris hac Iuris pōtificii ſcientia,non ad difficilia,& controuerſias excitandas ſed potius tollendas & dirimendas , ad illius honorem & gloriam qui eſt benedictus in ſæcula.

21 Duæ ſunt potisſimum res,Amplisſime Antiſtes, Viri Ornatiſſimi,quæ plerunq; homines in altisſimo dignitatis gradu ſiſtere conſueuerunt,peritia rei militaris & Sapientia utra harum alteri preſtet,per uetus fuit controuerſia, de qua diſſerere non eſt huius loci neq; temporis, ad eumq: uirum id maxime pertineret,qui in utraq; excelleret, compertum tamen habeo apud pleroſq; principem ſibi locum uendicare Sapientiam,quæ Diuinarum humanarumq; rerum cognitione, continetur. propterea quòd militaris rei gloria plerumq; ex fortuna pendeat ſapientiæ uero laus ex propria cuiuſq; uirtute ingenioq; proueniat,ſed quiReſpublicas ciuitates familiaſq; recte inſtituerunt ſic utranq; diſciplinam complexi ſunt,ut ſuam unicuiq; partem tribuerent,nam ex liberis & adoleſcentibus , alios rem militarem capeſſere alios Doctrinæ& ſapientiæ operam dare uoluerūt,ut utrūq; tempus pacis &belli, reſpicerent, & quæ illi bello & Armis compararent, in iuſtitia & Sapientia Regerent ac conſeruarent,qua in re,Ioannis Baptiſtæ Paupergi foro Iulienſis huiuſce Laureandi Patris præcipuum fuit ſtudium , is enim longa maiorum ſerie à Nobilisſimis Pampergi, & Ripiſtagni Dominis, quæ ſunt in Carnis oppida, non obſcura Originem ducens cum octo liberos ſuſcepiſſet, quattuor Belli cæ Diſciplinæ reliquos uero literarum ſtudiis conſecrandos

iudicarit, sanè forum Iulii, à Iulio Cæsare dictatore conditum inter cæteras Italiæ urbes, cum priscis tum nostris temporibus fuit, extatq; florentissimum, illa enim regio Germanis finitima, cum per eam ueluti portam Barbaræ Olim Nationes irrumpere in Italiam consueßent sæpenumero Barbarico represit impetus Italieq; asseruit libertatem, huius rei gratia Romani ueteres Aquileium Coloniam condidere & insequenti æuo, Castella plurima in collibus condita, fortissimis quibusq; tradita sunt ducibus, ut essent qui Barbarorum uim sustinerent & Italicos fines armis tuerentur. Itaq; Prampergum & Ripistagnum oppida in faucibus Italiæ sita & Germanie proxima henrico Viro fortissimo huius Laureandi progenitori, condonata fuere, eiusq; fidei Aemona Illustre oppidum commissum Bello Germanie egregie desensum constat. Prætereo Ioannem Pranpergum Strenuum & præstantem uirum, quem Senatus Venetus ob præclarè gesta Tricesimo oppido donandum censuit, Quiq; dum Ciuitati Austriæ à Germanis obsessæ opem ferret desertus à suis, pugnans in Acie fortiter occubuit. Taceo Hermanum Vicardum, Iacobum iustum aliosq; Gradus huius Viros complures Clarissimos ne Historiam uideat Contexere, silentio inuoluo adhuc uiuentes Barnabam, & Leonardum, Laureandi nostri fratres, quorum alter Iurisconsultus eximius, Alter PhilosophusMedicusq; præstantissimus, maxima sunt Familiæ decora atq; ornamenta uenio iam ad Aloysium, quem hodie uirtutis ergo, honestandum suscepimus, is enim ab ineunte æta maiorum suorum præclara secutus uestigia, in hoc celeberrimo orbis terræ Gymnasio ciuili ac Pontificio Iuri, egregiam nauauit operam tantumq; in hac disciplina proferit, ut Iure Optimo dignus sit habitus, qui in Doctorum numerum atq; ordinem coaptetur, atq; ad cæteras huius laudes, & felicitatis Cumulum. Accessit hoc ueluti fastigium & Apex, ut ab hoc Principe Nobilissimo & Clarissimo hunc honoris gradum consequeretur, de quo quidem uiro uetat me pudor meus atq; ipsius præsentia plura uerba facere, satis enim superq; laudatum censeo, si Nepotem Pauli tertii Pontificis uere Maximi cu-

ius uita functi Memoriam, posteritate omnis pie collet,tali ac tanto genere non indignum dixero, quamobrem exurge mi Aloysi,& huius principis iussu accedenteq; horum Doctissimorum uirorum, consensu accipe iam diu promerita hæc honoris insignia primum quidem.

Mant. grauiter lecto decumbentem,amicè olim uisitarat Hieronymus Niger,Venetus, simulatq; moriturum ratus,mœrore affectus incredibili,abscessit,domum rediit, orationem funebre conscripsit,con ualuit Mantua,Niger moritur, quid mirum igitur, sinonnunquam funus etiam uiuentis faciat,Mortuus?

ORATIO HIERO. NIGRI, CANONICI Patauini, Veneti & I. Con. O. eloquentissimi, in funere uiuentis Mantuæ.

GRaue mihi onus hodierna die uideor suscipisse,qui Marcum Mantuam Benauidium Iurisconsultum Clarissimũ, præceptorem olim meum uita functum debita laudatione prosequendum sumpserim.Huius enim uiri præstantes eximiaq; uirtutes, quibus ipse non modo Patriam hanc nobilissimam,Gymnasiuuq; hoc celeberimum,uerum&cunctam Italiam,atq; adeo nostra hæc secula summopere illustrauit, non humile atq, abreptum ex triuio dicendi genus,sed illustrem ac sublimem postulant orationem, qualem ego id ætatis, intermisso iampridem orandi munere, in tanta lectissimorum Virorum frequentiam polliceri non audeo. Peruetus uero necessitudo inter nos, multorumq; offitiorum, quibus coniuncti fuimus, Memoria ita me affigunt, atq; opprimunt, ut neq; Mens,neq; lingua,neq; latera suo iam offitio functura uideantur.Adnitẽdũ est tamẽ tanti uiri laudes paucis perstingendæ sunt, quas fortasse alias sedatiore animo latius explicabimus,interea uos oratos uelim, ut quæ dicam attentis excipiatis auribus, quæ uero breuitatis studio

prætermitam,nobiscum taciti cogitetis.
Nõ defuere,qui naturã rerũ omniũ procreatricẽ uehemẽter accusarint. eaq; nõ parẽtẽ sed nouercã appellauerint, quòd coruis,cornicibus,&id genus animantibus, quæ nullo ferè usui sunt humano generi, longæuam dederit uitam, Homini autem a quo tot commoda,tot ornamenta proueniunt, tam exignum uitæ curriculum concesserit, ut quasi flos matutinus occidente sole languescat & decidat. Qua opinione adducti nonnulli nescio quo pacto in philosophorum numero habiti Animũ despondentes in uoluptate summum bonum statuerunt,ad eamq; cuncta referentes ab oĩ administratione Reip.&ab omni studio uirtutis & laudis abstinuere. Hos ego omnium mortalium ingratissimos è ciuitatibus eiiciendos censeo, ne, imprudentiores apibus esse uideamur, quæ ignauos fucos arcent ab aluearibus, nam si existimant ii se sibi solis natos esse, cur Agricola ferat nudus? duroq; aratro terram proscindat? Scilicet ut hi otiosi sedeant,& alienis laboribus saginentur. Cur impiger Mercator per tot terræ marisq; pericula merces conuehat? ut hi gemma bibant& serrano ostro dormiant. Cur Imperator & miles ad Buccinæ sonitum intempesta nocte consurgant, cur pro salute ciuium uulnera & mortem oppetant, sane ut hi supini stertant, & turpi otio contabescant. Contra uerò si liceret brutis animantibus de natura conqueri ,haberent quædam ex eis quòd quærerentur , diu quidem se uiuere, sed ignara suæ uitæ,sed ad seruitutem hominum,quorum insidias, dum semper timent, miserrime uiuunt ,nobis autem diuinitus datam esse ingenii uim,qua tot artibus, tot disciplinis exculti , immortalitatem consequi possimus,nam & pie uiuendo &bene merendo de humanogenere,non modo sempiternam nobis gloriam comparamus, uerum& aditum patefaciamus in cælum , ac creatori Deo similes reddimur. longè igitur errant hi qui inter miserias nostras connumerant uitæ breuitatem quam præclare gestis diuturnam atq; æternam facere & possumus& debemus .Horum errores ab ineunte ætate auersatus. M. Mantua Patre natus Petro Mepico peritissimo ac summæ probitatis uiro , ex humanio-

ribus studiis, in quibus non mediocriter excelluit, ad iuris ciuilis & Pontificii disciplinam se contulit, Praeceptore usus Hieronymo Butigella Papiensi Iurisconsulto Clarissimo qui postea Romae est mortuus. Huius Memoriam Marcus tã pie tam diligenter coluit ut cum frequenti sermone tum scuptis testatum reliquaerit, quàm honnrifice de praeceptore sentiret. In quo satis impudenter ne dicam impie labuntur permulti, qui ut acutiores praeceptoribus uideantur, eos in terdum carpunt, eorum placita refellunt, sibi ipsis negotiũ facessentes, quum permagni referre uideatur, sub quo quis Duce militauerit. fecit hoc aduersus Platonem Aristoteles, plerunque non sine calumnia, fortasse arbitratus interitura Platonis opera, quemadmodum & antiquorum philosophã tium scripta interierant. quae si extarent, forte illos non tã inepte lapsos iudicaremus. Fuit per omnem aetatem Marcus in iudicando de aliis benignissimus, ac ab omni penitus inuidia maxime alienus, nam quos in sequenti aeuo aemulos habuit in praelegendo, excepit semper comiter atq; Vrbane offitiis iuuit, fauoribus est prosequutus. Nimirum magni & erecti est Animi ac sua ipsius uirtute nitentis, alienae laudi non detrahere, uelle unumquemq; honesto esse loco, ad honores & opes bonis omnibus patere aditum, Nam qui per alterius ruinas uiam sibi sternit ad gratiam is certe suae in dignitatis est conscius, & eo gradu honoris, quem petit indignus. Hac grauitate & Modestia Benauidius facile Animos tam ciuium quàm aduenarum omnium sibi conciltauit, & ante aetatem condiscipulos omnes praeteruectus dignus est habitus Veneti Senatus iudicio, qui primum Pontificium deinde ciuile ius publice interpretaretur, posceret is locus ut de dignitate huius scientiae uerbam facerem, in qua Marcus principem sibi locum uendicauit, sed ea res toties inculcata est auribus uestris, toties ex hoc loco praedicata ut laborem hanc frustra mihi uidear suscepturus, Verearq; ne in tam uastum prouectus pelagus, à portu longius quàm par esset, aberrem, ne ue iuris prudentiae laudem, totum orationis meae cursum auetant, sed quoniam nonnuli sunt ex noua Academia, qui philosophiae studium iuris prudentiae praeponendum

ponendum censent, quasi uero iuris scientia non sit philosophiæ pars, & quidem nobilissima, legesq; ipsæ è sacrario philosophiæ deprōptæ nō fuerint, ac si quid forte uitii notant, in leguleis, uel in corrupta legum disciplina, id totum huic scientiæ adscribunt, date obsecro ueniam, si in confutanda horū petulantia parū p euagabor. Viguit olim apud ueteres philosophos inter scientias omneis fœdus indissolubile, atque hæc erat cathena illa aurea, quam ex ore Iouis prodire poetæ finxerunt. Ea propter iidem fuere & legūlatores & Philosophi, quod de Solone Licurgo, cæterisq; permultis memoriæ proditum est. Quò enim pacto illi Sanctissimas leges condere potuissent nisi prius didicissent, quid iustum, quid æquum, quid utile foret Reip. & Socrates ipse diuinus profecto uir primus fertur philosophiam e cælo deuocasse, & in urbes introduxisse, propterea quod sapientiæ studium ad ciuilem uitam primus accommodarit. Quanquam enim ante Socratem sapientes multi leges condiderunt, fuere tamen illæ aliquanto seueriores, quam ætas insequens pati posse uideretur, Socrates ad humanæ uitæ societatem continendam, direxit omnia, quæ Plato eius discipulus à præceptore tradita literis commendauit. Qui si nunc audirent hosce Ardelliones legum scientiam irridentes, & philosophiæ studium a iuris peritia separantes, dicerent sanè, unde uos hoc dissidium somniatis? An si quid forte inepte & Barbare à recentioribus Iurisconsultis est traditum propterea iuris prudentiam abiiciendam putatis? Quid ineptius & magis barbarū est uestris nūc usurpatis uocibus? Quid uestris disceptationibus obscurius & implicatius? Et tamen nos maiestatem Philosophiæ suscipimus, & ueneramur. At qua breuitate, quo candore, qua dignitate à Veteribus Iurisconsultis scriptæ sint leges, Quis non admiretur? Si recentiores interpretes ueterē illā latinæ linguæ puritatē retinere nō potuerunt, fuit hoc uitium illius temporis quo se in Italiam infuderat peregrinitas, & oēs disciplinas atque artes fœda illa barbaries infecerat. Ingenia uero recētiorū Iuriscōsultorū peracuta, incredibilē cūctarū legū memoriā sūmā in scribēdo diligētiā quis nō probet? Quū nihil fere in cōtrouersiā cadere possit, q nō illi præuiderint ac deffiniuerint. Neque uitio uerten

Q

dũ est legibus,ꝙ tot litibus atque his perpetuis,tot clamoribus,fora cũcta personẽt quemadmodũ nec medendi sciẽtia culpãda est, ꝙ tot ægri homines decũbãt,& pereant.Damnãdi sunt,qui ex suo(ut aiunt) capite legibus abutũtur, qui calũniis locũ dãt, qui p sordes iudicia exercent. Quibus leges ipsæ grauiter&seuere admodũ inclamãt, & grauissimas statuũt pœnas.Desinãt igitur hi hãc palmã, quã omnis ætas omnis ordo, cũctarũ gẽtiũ,nationũq; cõsensus iuris sciẽtiæ tribuit,ei uelle extorquere de manu,ne interdicto retinẽdæ possesfionis ac suo ipsa,iure uti cogatur.Sed ad M. Benauidiũ redeo qui ex hac ciuili,ac põtificia sapiẽtia tantũ est laudis cõsecutus, ut eũ iure optimo antiquioribus Iuriscõsultis parem extitisse fateamur, Nã & publice prælegẽdo, & quotidie aliquid noui mãdãdo literis,& reos in capitalibus iudiciis defẽdẽdo, Nullã particulã tẽporis offitio uacuã abire p misit, & qđ C. Plinius secũdus Iunior de Auũculo scribit, perire omne tẽpus arbitrabatur, quod literis nõ impartiretur. Huius domus Oraculũ fuit Ciuitatis, quã semper&auctoritate& consilio, &opibus iuuit, Princeps legationis pro patria Donato Veneti Senatus principi luculẽta oratione est gratulatus. Claruit ex temporanea latine dicẽdi facultate, ut sæpenumero bis in die incoronandis doctoribus perelegantem habuerit orationem .Et nemo iam sibi hisce honoribus ac titulis rite uideretur insignitus, qui nõ eos de Marci Mantuæ manibus accepisset . Vos adhibeo arbitros Patres Amplissimi quorũ aures animosq; tot annos Mantua suauissima oratione demulsit , qui diu (ni fallor) Eloquentissimi collegæ uocem, atque industriã desiderabitis.Vos testes aduoco legũ studiosi Iuuenes qui adestis, ecquãdo Mãtuã de iure interrogastis,qui nõ cõtinuo copiose benigneq; responderit,quando opem ab eo, auxiliumq,, expetiuistis, quod non is prõpte liberaliterq; præbuerit? Fuit profecto in omni uita,magno atq; excelso animo. Quali nõ priuatũ modo ciuẽ sed principẽ quoq; Virum esse decuisset, nã&ædes Magnificẽtissimas, & hortos amœnissimos uelut alter Lucullus extruxit, disposuit,præclarisq; signis &operibus ab ipsa ãtiquitate repetitis mirifice ornauit, Affert hoc studiũ uetustatis ut nõ mediocrẽ sumptũ, ita plurimum de-

lectationis&laudis, eo priscis tẽporibus nobilissimi,& sapiẽtissimi quique homines sunt delectati,nam & quæ Romani illi Veteres uniuerso penè terrarũ orbe subacto subacta græcia,in urbẽ trãstulerãt,à præclaris artificibus egregie cõficta post euersum Imperiũ ut est omniũ rerũ uicissitudo trãslata sunt,alio& p uniuersum penè orbẽ terrarum fuere dispersa, Quorũ intuitu renouatur memoria clarorũ uirorũ, quos ea uel signa;uel nomismata rẽpsentãt, neque parũ uidẽtur face re ad accẽdẽdos ad uirtutẽ animos eorũ imagines qui rebus pclare gestis&gloria claruere. In huiusmodi honesta suppel lectili coemenda atque ornãda multũ pecuniæ Marcus pro fudit, multo quidẽ æquius & honestius quã lucullus de quo paulo ante mẽtionẽ fecimus,ille enĩ ex hostiũ manubiis tot &tãta cõgesserat,Hic ex publico stipẽdio, atque ex uigiliis, quas p salute amicorũ cõseruãda,&p cõmuni huiusce Gym nasii utilitate ac dignitate, tuenda sustinuit,ille post tot ui ctorias otio incumbens ab omni publico munere se se abdi cauit,luxui ac uoluptati totũ se tradidit.Hic ad extremũ us que spiritũ Rẽp.nõ deseruit,&si quãdo ab hominũ frequẽtia secessit,scripsit semp aliquid, ꝙ posteritati sit profuturum.

Scripsit autẽ septẽ& trigĩta uolumina,multa rerũ uarieta te&copia refertissima,tã in Cæsareo iure q̃ Põtificio.Cõmẽ taria scilicet,quæ uulgò repetitiones appellãt, Collectanea, Consilia, Scholias Apophtegmata, problemata Dialogos, Enchiridia,Epitomata,Cẽturias, & id genus quamplurima, quæ, singula enumerare longũ esset. Vt si hæc scripta mẽte & cogitatione reuoluimus, Vix credibile est , hunc ad cætera negotia inducere animũ potuisse, si reliqua ipsius studia, & actiones inspicimus,difficile erit cognoscere,quonã pacto is tot&tãta literis mãdare potuerit.Hæ lucubrationes,hæ uigi liæ Marce tuæ perpetuo tecũ uiuẽt, multoq; erũt plausibilio res te Mortuo q̃ uiuo . Nã & Poetarũ Pater Homerus,& Di uinus Maro,& Clarissimi quiq; scriptores dũ uiuerẽt, nõ car uere obtrectatoribus, quos postea omnis insequens ætas est uenerata. His titulis tu familiã& patriã ornasti tuam , Hæc monumẽta posteris tuis imitãda reliquisti&queẽadmodũ in sũmorũ Imperatorũ triũphis mos fuit circũducere captas ur bes,Trophea,Spolia,Captiuos Reges,ita nos in supremo hoc

triũpho,quẽ de ipſa morte, uirtus tua retulit,circũducemus præclara tua opera, libros abs te diuinitus conſcriptos,Multos mortales tua ope ſubleuatos, & ex ignorantiæ tenebris ereptos. Quamobrem nõ eſt cur tuum ipſi defleamus interitũ,Cuius animũ credimus bene actæ uitæ conſcientia gaudentẽ, ea iam præmia fuiſſe conſecutũ quæ Munificentiſſimus cõditor orbis Deus propoſuit iis qui de humano genere bene meruiſſẽt,Quin potius præclara hæc Ciuitas, hoc ipſum Gymnaſiũ, apud Deum ipſum patrociniũ tuũ expoſcit, Rogatq; te,ut tua iſta uox, quæ, ſæpenumero huic Vrbi,& patriæ ſalutaris fuit,calamitoſo hoc tempore ne deſit atq; in offitio permaneat;Vos autẽ uniuerſos, qui ad hoc honeſtandũ funus frequentes conueniſtis oro, atq; obteſtor, ut tanti Viri memoriam pie ſanctéq; colatis,& per eadem ueſtigia gradientes omni ſtudio connitamini eandẽ metã cõtingere, quam Marcus feliciſſime contigit,&quæ cõſtituta eſt omnibus iis, qui uirtutem pietatemq; coluerint.

Obiit Hieronymus Niger,ãno ætatis ſuæ LXIII. MDLVII.
Viuit Mant. nunc ætatis annorum L X XX V I I I.

Quæ in cudendo opere acciderint lituræ.

Fol.2. a linea.11. Amicicie.Amicitiæ f.2.l.14.Mærore. Munere b.l. 14.deuouemus.uouemus.f.3.l.6.Quãqui.Quãq̃ l.21. inuſtã. depictã.l. 24.pato.peto.b.l.2.ſacio. facio .l.11.cooptatũ. coaptatũ. codẽ gratulatioris, gratulationis.l 27.&eſſe cõditione,ca eſſe cõditione. codẽ fluctuebat,fluctuabat.f.5.b.l 18.homine tibi familiare. hominẽ tibi familiarẽ,f.6.l.4.cooptatus. coaptatus.l.8.mens.meus f.8.l.i. ualeremus ualerianus f.ult.ueſtra,noſtra b.f.20 mea.meã f.9.l.5.omnes.omneis. f.10.li.6.cõfecta. cõfecti.l.12. habes habẽs.l.27.prudẽtiſſimũ prudentiſſimo.b.l,28.me hãc.modo hãc.l.30.mirũ ſe.inter ſe.f.12.l.11.finis. ſinas.f.14.l.20.integritate.integritatẽ.f.15.l 26.tenore. tẽpora.b.l. 30.tuæ te.f.20.li. 34.põtificiũ põtificũ.l.35.decrete. decreta..l.24. Acephalis.Acephali.l.25.ibi .ſi.b.l.ult.Hominũ. Hominẽ.f. 22.l.11 cogitabã Romã .cogitabam Romam uenire.b. l.6.preſecuturus. proſecuturus f.29.l.19.Noli.Nolim.

Cætera tanquàm parui momenti aut leuiora errata in iudicium Candidi lectoris reponuntor.